

5

15
Biblioteca Universitaria

Estante..... 27

Table..... 9

Número..... 9088

= 5525

SYNTAGMA
RHETORICVM,
SIVE DE ORATIONE
Rhetoricè, & artificiosè
texenda.

EX ARISTOTELIS, CICERONIS,
& Quintiliani præceptis præcipuè de-
promptum, & concinnatum.

AD R. Patrem FRANCISCVM PIMENTEL
Societatis IESV.

Authore SEBASTIANO BVRGENSI
Rhetorices professore.

Secunda editio correctior, & auctior.

*De la libreria del Colegio de S. Ignacio
de Valladolid.*



BVRDIGALAE.

Apud SIM. MILLANGIVM
Typographum Regium.

Anno M. DC. XIX.

1873

1873

1873

1873

1873

1873

1873

1873

1873

1873

1873

1873



R. P. FRANCISCO
PIMENTEL SOCIET. IESV,
acutissimo Philosophiæ
professore, & Theolo-
go eximio SIM. MILL-
LANGIVS Typographus
Regius.



*Robabiles causas
habui, cur tuis
potissimum auspi-
ciis breue istud
& compediolum
Syntagma Rhetoricum typis no-*

A 2

stris emissum in lucem prodire
vellem. Nam si in ipsis eloquen-
tia castris Imperatores salutare,
aut tironibus ducem ad imitan-
dum proponere liceat, quis te vno
maiora sincerae doctrinae & vir-
tutis exempla praebiturus est? Si
Musarum sacra tractantibus
μουσικήν Apollinem venerari,
aut in orationis comendae palaestra
versantibus λόγιον ἔργον asciscere
& aduocare permittatur, tu
utrumque ita refers, ut planè
occupata acie benè dicendi trium-
phum perpetuum agere videaris.
Quòd si vero, quos haec aura for-
tuna blandiùs afflanit, imagines

in atriis ambitiosè disponere sole-
bant, vt extarent posteris docu-
menta, quę liberos cessantes ad pa-
rentum æmulationem excitarent,
certè multo meliori iure, & ma-
gno rei literarię emolumento in
scholis vestris, VIR NOBILIS-
SIME, tua stare deberet imago,
cuius aspectu excussa desidia la-
boribus cederet, & illustri loco
natos honestum otium male collo-
care puderet. Quòd si tu tamen,
qui sola celestia aspiras, aut con-
temnis, aut cupidè ambientibus
dimittis, pàtere saltem in hoc li-
bello nomen tuũ legi, quod velut
Alexandri aut Pompei effigies

militiæ literariæ tirones, & spe fœ-
lici implebit, & fastidiosos saluta-
ris sacramenti detrectatores sub
signis, dum legitima fecerint stipē-
dia, detinebit. Quod ut commu-
ne Societatis vestræ est votum,
magna fide & religione Christia-
no orbi exsolutum, sic à te eximia
eius parentis maximo alumno pa-
ri cum fructu est cultum. Quod
non mediocri mihi fuit incitamen-
to, ut huic opusculo minuto qui-
dem, sed eleganter culto patronum
te accerferem, ut pueritiæ tuæ
tempora recolēs, vestigia quæ fœ-
liciter olim triuisti, letus agnoscas,
& autoritate tanta in exemplum

*adolescentes primarios trahas. Et
certè si benè agnoui humanitatem
tuam, quę cum generis nobilitate
in te certat, non grauatè feres ma-
iora te meditantem hic interpella-
ri, & Beneuentani Comitatus no-
mine fœliciter & operę meę, &
huic opusculo ominari.*

Burdigalæ Prid.
Non. Augusti.

A 4

P A T E R A N T O N I V S
Garfias Societatis IESV Humaniorū
litterarum professor, in Syntag-
tis commendationem Epigramma
lufit.

Bellerophontis equi sacrum dedit vn-
gula fontem,
Hinc tibi si veniat guttula, doctus
eris.

Eleos inter fama hæc. Tibi plena Se-
bastus
Ecce fluenta dedit, tingere, doctus
eris.

Siue reus premeris, quereris uè obiecta;
vel anceps
Deliberas; laudas, vel secus; inde
pete.

Fundit hic omnigenas (credas) fons
limpidus vndas;
Ergo auide voueas. *Tinge labella liquor.*

A P R O B A C I O N .

POr mandado de los Señores del Consejo Real y supremo deste Reyno, he visto este libro intitulado, *Syntagma Rhetoricum, siue de oratione Rhetoricè, & artificiosè texenda.* compuesto por Sebastiam Burgense professor de Rhetorica. Y me parece es muy vtil para los que vsan estudios de humanidad. Y assi se le puede dar licencia para que se imprima. En Pamplona à 16. de Deziembre 1615.

El Presentado F. Geronymo Domin de Funes, Prior del Carmen de la Obseruancia.

L I C E N C I A .

YO Pedro Barbo Secretario del Consejo Real deste Reyno de Navarra, doy Fè, que vista la aprobaciõ hecha por el Padre Presentado Fray Geronymo Domin de Funes Prior del Carmen de la Obseruãcia de la Ciudad de Pamplona, del libro presentado por Bartolome Paris librero, veziño desta Ciudad, intitulado Syntagma Rhetoricum, siue de oratione Rhetoricè, & artificiosè texenda, que su autor es Sebastian Burgense professor de letras. Los Señores del dicho Consejo le dieron licencia para que lo pueda imprimir, y vender el dicho libro en papel a cinco blancas el pliego, como todo ello consta y parece por los autos que en mi poder quedan, a los quales en lo necessario me refiero. En cuya certificacion firme en Pamplona 21. de Enero de 1616.

Pedro Barbo Secretario.



S Y N T A G M A
 R H E T O R I C V M,
 S I V E D E O R A T I O N E
 Rhetoricè, & artifi-
 ciosè texenda.

P R O O E M I V M.



V M viderem
 quantum utilita-
 tis iuuentus pos-
 set ex huius poli-
 tissimæ artis co-
 gnitione percipi-
 re, quamque esset difficile in bre-

S Y N T A G M A

uiffimo vix duorum mensium
 spatio (quod hoc tempore multis
 in scholis ad Rhetoricen propter
 discipulorum impatientiam, præ-
 finitur) quæ à Rhetoribus tradū-
 tur, præcepta percurrere, ne dum
 exequi; nihil antiquius habui, quã
 vt aliis omiffis, quæ longiffimè,
 nec aptè satis multi de Rhetorica
 disputant, illa in hunc libellum
 colligerem, quæ ad orationem
 Rhetoricè, & artificiofè texendã
 funt neceffaria; ad cuius contex-
 tum omnes tendunt præceptio-
 nes Rhetoricæ. Vnde libellum
 hunc Rhetoricum appello syn-
 tagma, quòd Rhetoricæ partes ad
 orationis aptæ reuocet artificium.
 Verum illud admoneo, demon-
 stratiuum genus tractari fufius

in hoc syntagmate, in eo enim exercentur frequentissimè nostri adolescentes; in deliberatiuo, & iudiciali non ita. Læta illud fronte, ac sine supercilio, quicumque legeris, aut euolueris.

R H E T O R I C A E D E F I N I T I O,

Officium, Finis, Materia. Cap. 1.

Rhetorica (quæ naturâ, arte, & exercitatione comparatur, atque perficitur) est Ars benedicendi; hoc est ornatè, grauiter, & copiosè. Eius officium est, dicere ad persuadendum accommodatè. Finis, persuadere dictione. Materia, res est quælibet, quam sibi proponere ad dicendum velit orator, quæ peculiari nomine, Quæstio vocatur. Quæstio vero duplex est, altera infinita, quâ generatim ali-

SYNTAGMA

quid quæritur, remotis personis, temporibus, locis, cæterisque similibus, & in vtramque partem tractatur; vnde locus etiam communis dicitur; vt, *An insidiator iure possit occidi?* Hæc quæstionem Græci Thesis, Cicero propositum vocat. Altera finita, Græcis Hypothesis, Causa Latinis, seu cōtrouersia, quæ rem tractat certis personis, temporibus, locis, &c. Definita; vt, *An insidiator Clodius iure sit interfectus?* Causarum vero tria sunt genera, demonstratiuum, seu exornatiuum, deliberatiuum, & iudiciale.

Sed notare oportet Thesis partem esse sæpissimè Hypothesis siue Causæ, vt si velim probare hæc Hypothesis. *Iure Clodius à Milone est*

occisus: Theſin præmittam, Omnis inſidiator iure poteſt occidi. Hoc artificio uſus eſt Cicero pro Milone, & pro Archia poëta.

Q V I D H O R V M G E N E R V M
unicuique conueniat? Cap. 2.

C R e b r i o r e ſt d e m o n ſ t r a t i u i , & d e l i b e r a t i u i g e n e r i s u ſ u s , r a r i o r i u d i c i a l i s . D e m o n ſ t r a t i u u m a d l a u d e m , u e l u i t u p e r a t i o n e m ſ u ſ c i p i t u r , & t e m p u s u e l p r e ſ e n s ſ p e c t a t , u e l p r æ t e r i t u m . A d q u o d g e n u s r e f e r u n t u r e t i a m , g r a t i a r ū a c t i o n e s , g r a t u l a t i o n e s , o r a t i o n e s n u p t i a l e s , & f u n e b r e s . D e l i b e r a t i u u m ſ u a ſ i o n e m c o n t i n e t , & d i ſ ſ u a ſ i o n e m , & t e m p u s i n t u e t u r f u t u r u m . H ū c ſ p e c t a n t c o n ſ o l a t i o n e s , e x h o r t a t i o n e s , p e t i t i o n e s , o r a t i o n e s c o m e n d a t i t i æ . I u

SYNTAGMA

diciale accusationem in se habet,
& defensionem, & præteritum
maximè tempus includit. Huc re-
ducuntur reprehensiones, com-
minationes, excusationes, purga-
torix orationes.

In his generibus, sed in Iudiciali
præcipuè, tres sũt status (status est
cõstitutio, vel sũma causæ ad quã
omnia argumenta referuntur.)
Primus coniecturalis, cum quæ-
ritur sit-ne, vel fuerit, vel futura sit
res, vt: *Cõmiserit-ne ambitum L. Mu-
rena?* Secundus definitiuus, cum
factum conceditur, de nomine
autem est controuersia. Cic. pro
Lig. vt: *Cõcedit Ligariũ in Africa fuis-
se, sed id crimen dicendum esse negat.*
Tertius qualitatiuus, cum de fa-
cto constat, & nomine, sed de
qua-

RHETORICVM. 4

qualitate ambigitur, vt: *Iure, an iniuria Milo Clodium occiderit?*

QVOD SINT RHETORICEA

PARTES ? QVOT ORATIONIS?

Exordij definitio, & Condi-
tiones. Cap. 3.

Multa est Rhetorum dissentientium varietas circa partes Rhetoricæ. Quorum ego sententiis omisis, quinque cum Aristotele, & Cicerone partes assigno: Inventionem, Elocutionem, Dispositionem, Memoriam, & Pronuntiationem. Inuentio est rerum aut verarum, aut verisimilium excogitatio, que probabilem reddant causam, vel saltem verisimilem. Elocutio est idoneorum verborum, & sententiarum ad inventionem ornata accommodatio. Dispositio est rerum, & verborum in ordinem distributio.

B

SYNTAGMA

Pronuntiatio (quæ Actionem includit) est *ex rerum, & verborum dignitate vocis, & corporis moderatio; & (vt ait Sanchez lib. 1. c. 2.) quedã corporis eloquentia.* Earum omnium custos est memoria. Et quoniam hæ Rhetoricæ partes exercentur in oratione, de illâ texendâ latiùs præcipientur.

Orationis partes quatuor sunt *talium; Exordium, Narratio, Confirmatio, & Peroratio,* quæ ex ipso eliciuntur oratoris officio. Debet enim orator mouere, docere, & delectare. Docebit in *Narratione, & Confirmatione;* mouebit in *Exordio, & Peroratione;* delectabit per totam orationem.

Exordium est Principium ora-

RHETORICVM. 5

tionis animum auditoris idoneè
 comparans ad audiendum. Tres
 sunt exordij conditiones. 1. vt be-
 neuolos. 2. vt attentos 3. vt do-
 ciles faciat auditores.

*BENEVOLENTIAE CONCILI-
 ande precepta. Cap. 4.*

Beneuolentia captatur, & à per-
 sonis, & à causis. A personis
 quidem, vel nostra, vel auditorū,
 vel eorum quos laudamus, vel vi-
 tuperamus. Et in hoc triplici per-
 sonarum genere tria sunt confi-
 deranda. Merita, Dignitas, Virtu-
 tes. Exempla subijciam.

- Merita commemorat Cicero
 erga auditores, & Remp. tum sua,
 tum etiam L. Flacci, quem de-
 fendebat. *Cum in maximis periculis
 huius urbis, atque imperij grauissimo*

SYNTAGMA

atque acerbissimo Reip. casu, socio at-
que adiutore consiliorum, periculorum-
que meorum L. Flacco, cædem à vobis,
coniugibus, liberis vestris, vastitatem à
templis, delubris, urbe Italia depelle-
bam; sperabam, iudices, honorum me
potius L. Flacci adiutorem futurum,
quàm miseriarum deprecatoem. Au-
ditorum erga se merita, idem in
orat. post reditum in senatu per-
ceuset. Si P. C. pro vestris immortali-
bus in me, fratremque meum, liberosque
nostros meritis parùm vobis cumulatè
gratias egero, &c. Sed parcè, & mo-
destè commemorentur, ne si no-
stra eleuemus, arrogantia; si alie-
na, assentationis notam incurra-
mus.

Dignitatem præ se fert suam
Cic. pro Murena. Idem Consul. cum

vestrae fidei commendat, qui antea Diis immortalibus commendauit, &c. Et Deiotari, quem defendebat. Primum dico pro capite, fortunisque Regis, &c. Et auditorum, pro lege Manil. Quamquam mihi semper frequens conspectus vester multo iucundissimus, hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus 22. &c.

Virtutis genus omne conciliat, tum in ipso oratore. Cic. in Verr. I. *Adductus sum, Iudicis, officio, fide, misericordia, multorum bonorum exemplo, veteri consuetudine, institutioque maiorum, ut onus hoc laboris, & officij, suscipiendum putarem. Tum in eo, quem laudamus. Cic pro M. Marcello. Quis enim est illo aut probitate, aut optimarum artium studio,*

SYNTAGMA

*aut innocentia, aut ullo genere laudis
 prestantior? Denique in auditori-
 bus, aut iudice. Cic pro Marcello
 de Cæsare loquens. Tantam enim
 mansuetudinem, tam inusitatam, in-
 auditamque clementiam, tantum in sum-
 mam potestate rerum omnium modum,
 tam incredibilem ac penè diuinam sa-
 pientiam tacitus nullo modo præterire
 possum.*

Captatur etiam nonnumquam
 beneuolentia, si aduersariorum de-
 merita, & maleficia, si indignitatẽ,
 si improbitatem ostendamus. Ma-
 leficia; Cic. in Verr. i. *Queres
 luxuries, &c.* & pro A Cecinnâ. In-
 dignitatem; in Vatinius. *Situa-
 ta utrummodo, &c.* sic pro Deiot. Im-
 probitatem; pro Rege Deiot. *Cru-
 delis Castor, &c.* sic pro Rosc. Amer.

Secundò à causis colligitur, si pia sit, si pro Rep. si in sceleratos. Cic pro Pub. Quintio. *Quæ duæ res in ciuitate plurimum possunt, &c.*

Addo, non mediocriter beneuolos effici auditores, si demissè, ac modestè de se sentiat orator. Cic pro Roc. Am. *Sapientiâ vestrâ fretus, Iud. plus oneris sustuli, quàm ferre me posse intelligo.* Sed ita fiat, ne affecta demissio videatur.

Q V A N D O A T T E N T I O C O N -
cilianda, & quomodo? Cap. 5.

NON in exordio solùm attentionem captandam esse, sed in reliquâ oratione, cum nimirum auditores languidi sunt, & fessi, & quasi dormitantes, tum Aristotelis præcepta, tum etiam plurima Ciceronis exempla te-

SYNTAGMA

stantur; quę passim occurrent Ci-
ceronem legenti.

Conciliandę attentionis quin-
que sunt fontes. Primus proposi-
tio rerum magnarum. Cic. pro
C. Rab. *Sic enim existimare debetis,*
22. post hominum memoriam rem
nullam maiorem magis periculosam,
magis à vobis omnibus providendam,
neque à Tribuno plebis susceptam, ne-
que à Consule defensam, neque ad Po-
pulum Rom. esse delatam. Secundus
rerum admirabilium, pro Q. Liga-
rio. *Hec non modo admirabilia sunt,*
sed prodigiis similia que dicam. Ter-
tius propositio rerū propriarum.
Proprię sunt, quę ad eos pertinēt
apud quos dicimus. Pro leg. Man.
Genus est enim eiusmodi, quod maximè
vestros animos excitare, atque inflam-

RHETORICVM. 8

mare debet ; in quo agitur Populi Rom. gloria, salus sociorum, &c. Quartus propositio rerum iucundarum, Cic. in Catil. 3. Remp. 22. vitamque omnium vestrum, &c. Ex hoc fonte totum illud deriuatur exordiū. Quintus propositio breuitatis; nihil enim equè mouet ad attentionem, ac breuitas. Cic. 2. Philip. Sed reliquum vite cursum videte, quem quidem celeriter perstringā. Addi potest & sextus, si paululum expectabimus, cum grauitate quadam, & feueritate vultus, antequam ordiamur ; vt apud Ouid. in Oratione Vlyffis.

---donec Laërtius Heros

*Astitit atque oculos paulum tellure moratos, (soluit
Sustulit, ad proceres expectatōque re-*

B §

SYNTAGMA

Ora sono.

Moneo hæc in contrariam partem esse tractanda, si à re propositâ animos velimus auditorum auertere. Ostendemus enim rem esse pusillam, nihil ad eos, apud quos dicimus, pertinentem, vulgarem, odiosam, & molestam.

QUINAM DOCILIS REDDATUR auditor? Cap. 6.

QUæ de attétione diximus, valent etiam ad docilitatem. Prætereà tamen hæc adnotentur. Primùm, vt genus, naturâq; causæ explicetur initio. Cic. pro leg. Man. *Dicendum de Cr. Pompei singulari eximiaque virtute, &c.* Virg. *Arma virumque cano, &c.* Secundum, vt oratio diuidatur in partes. Cic. pro Cluent. *Animaduerti iudices,*
omnem

RHETORICVM. 9

omnem accusatoris orationem in duas diuisam esse partes, &c. Tertium, vt non perturbatè dicat orator, sed explicitè, & dilucidè. Cic. pro leg. Man. Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tū de Imperatore deligendo esse dicendum. Vide quæ de narratione dilucida inferius dicimus.

QUANDO EXORDIUM ADHIBENDUM, & unde formadum? Cap. 7.

EXordia in iudiciali genere apud oratores antiquos erant acuratissimè elaborata, vt nimirū iudicum sibi animos & causæ cōciliarent; quod, si quando iudicialem quæstionem tractemus, obseruandum est. In deliberatiuo vel nulla adhibentur, vel certè nō longa; nec enim supplex, sed hor-

SYNTAGMA

tator & author venit orator. Proponet ergo quâ mēte dicat, quid velit, & quibus de rebus dicturus sit. In demonstratiuo diligenter sunt exordia concinnanda, in quo genere nunquam non adhibentur (vt sentit Quint.)

In Demonstratiuo genere sunt exordia maximè libera; vnde libet enim licet initium ducere, modò aptè cum reliquâ oratione coherat. Sed hæc obiter. Primùm duci potest exordium à commemoratione, & laudatione dicti, vel facti vel consilij, vel instituti alicuius ab antiquitate petiti. Hinc Plinius Traiani panegyricum est exorsus, à laudatione nimirum instituti maiorum, qui gerendarum rerum, & dicendi initia à preca-

tionibus caperent. 2. A dicti vel facti vel moris reprehensione, & vituperatione, quod sit contrariū iis rebus quas laudandas suscepimus. 3. A circumstantiis loci, temporis, personarum, rerum. Cic. à tempore orditur orationem in oratione pro M. Cœlio. *Si quis iudices, &c.* Ab insolita, & improuisa re, pro Mil. *Hæc noui iudicij noua forma, &c.* A loco, pro Deiot. *Moueor etiam loci ipsius insolentia, &c.* A personis, pro leg. Man. *Quamquam semper, &c.*

Hęc ad deliberatiui, & iudicialis generis exordia transferri possunt. Hoc addo ex Majoragio in part. Cic. in iudiciali illud spectare debere oratorem qui accusat, vt acerbos scilicet reo iudices

SYNTAGMA

reddat in exordio ; qui verò defendit, à querela incipiat conflati criminis, & animos iudicum ad misericordiam alliciat.

*QUOTVPLEX EXORDIVM,
que vitia, virtutes, partes? Cap. 8.*

Dividitur in principium, & insinuationem. Principium est exordium, quod apertè ex præceptis traditis auditorum benevolentiam conciliat, attentos, docilesque facit. Insinuatio, quædam exordiendi ratio, quâ latenter in animos repit orator, seque insinuat occultè. Eâ vero utendum est, quando turpis apparet causa, vel non satis ab omnibus probata.

2. Quando auditores sunt præ affectu. 3. Si præoccupati ab aliquo, qui priùs dixit. 4. Si dicendum a-

puḍ fatigatos. Lege Cyprianum
lib. 2. cap. 3.

Septem enumerantur exordio-
rum vitia. 1. Vulgare, seu tritum,
quod multis potest causis accom-
modari. 2. Commune, quo potest
etiam vti aduersarius. 3. Commu-
tabile, quod in authorem retor-
queri potest. 4. Longum, quod ni-
mis producitur. 5. Separatū, quod
cum causā non conuenit. 6. Trāf-
latum, quod aliud conficit quā
causę genus postulat, vt si atten-
tum faciat, quem beneuolum ha-
bere oportet. 7. Contra præcepta,
quod neque beneuolum, neque
attentum, neque docilem reddat
auditorem. Virtutes exordij ex vi-
tijijs satis apparent.

Tres veluti exordij partes Neo-

SYNTAGMA

terici quidam constituunt, Principium, Petitionem, & Partitionem. Et benè quidem. Principium est ingressus ille, vbi præcipuè beneuolentię studet orator. Petitio cum vel apertè vel occultè petit ab auditoribus, vt attentè audiatur. Partitio est diuisio totius orationis in pauca quędam capita; cuius partitionis munus est, reddere dociles auditores. Et quoniã de duabus prioribus partibus supra diximus: nunc de partitione quędam dicenda sunt.

PARTITIONIS INVENTIO, & modi aliquot proponuntur.

Cap. 9.

AD partitionem inueniendam conducit maximè ea, quę in oratione dicturi sumus, ad certa capita

capita reuocare; ea vero esse possunt, in demonstratiuo præsertim.

Primum, perfectio alicuius status, vel muneris, vt Regis, ducis, Doctoris, &c. quæ quidem partitio ita fiet. Ea, quæ sunt præcipua, ac propria talis status vel officij ad pauca quædam capita reducet orator, pollicebiturque se ostensurum partes illas illuxisse in eo, quem laudat; idque factis, & exemplis ex vita petitis in orationis cursu confirmabit. Hoc partitionis modo ad Cn. Pompei laudes vtitur Tullius pro lege Man. *Ego enim sic existimo, in summo Imperatore quatuor has res inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, authoritatem, felicitatem.* Quas summi Imperatoris partes in Pompeio fuis-

C

SYNTAGMA

se, ex ipsius factis confirmat egregijs.

2 Collatio illius quem laudamus vel vituperamus cum aliquo vel excellentissimo, vel scelestissimo viro: vt si de Regibus dicturus sis, cū Dauide; si de ducibus, cum Pompeio, &c. Colliges tamen primum quę in exemplari præcipue virtutes excelluere, vel vitia; ostendesque postea virum, quem laudas, vel vituperas fuisse illis virtutibus, vel vitijs quàm simillimum exemplari.

3 Per ætatis gradus decurrere, pueritię, adolescentiæ, maturæ ætatis, senectutis, breuibus narrationibus, & minutis, cum amplificatione coniunctis. Hac partitione vsus est Cic. Philip. 2. contra

M. Ant. *Vis te inspiciamus à puero?*

4 Laudem vel vituperationem diuidere in ea quę præcessere natalem diem, vt auita nobilitas, & si quę sunt præmonstrata portenta, vel miracula; in ea quę viuus gessit; in ea quę post mortem sunt subsequuta, vt honores exhibiti, hominum existimatio, magnifica sepulchra, &c.

5 Diuersa studia recensere, & oratione persequi; vt si is qui laudatur, vel vituperatur, togę insignis, aut militię fuit; si literis illustri, aut sanctitate.

6 In varias hominis dignitates, vel status orationem diuidere; vt si prius Monachus fuerit, deinde Episcopus, tum etiam Cardinalis, postremo summus Pontifex, &

SYNTAGMA

quid in vnaquaque dignitate gesserit, vel statu.

7 Allegoriam aliquam excogitare, quâ sanctorum præcipuè laudes non sine voluptate explicantur. Vt si quis B. Thomæ Doctoris Angelici encomia celebraturus, non immeritò dicat solem in illius pectore visum à multis insidere, cum ipse instar fulgentissimi solis in obscura mundi caligine affulserit. Tum solis naturam, conditiones, & proprietates in partes diuidat, quibus sanctissimi virtutes conferantur, & amplificentur.

8 Honestum, vtile, delectabile orationis materiam, & segetem subministrant. Aptior partitio virtutum laudi, & ingenuarum

artium ; & suasioni, si facilitatem adiungas.

9 Multa, & varia facta, omisso ordine historię, tractare, in propria virtutum genera dirigendo, vt charitatis, fortitudinis, &c. colligendo seorsum vniuscuiusque virtutis exempla. Sic Pompej virtutes Cicero laudat ab eo

loco. *Ego enim sic existimo.*

SYNTAGMA

DE NARRATIONE

secunda orationis parte.

NARRATIONIS DEFINITIO, genera, locus, conditiones.

Cap. 10.

Narratio est rerum gestarum, vel quasi gestarum explicatio. Cuius triplex genus Tullius agnoscit. *Narrationes (inquit) alie dramaticae, siue poëticae, alie historicae, alie ciuiles; primae finguntur; secunda memoriam antiquitatis complectuntur; tertia in controversijs Rhetorum versantur.*

Proprius narrationi locus in demonstratiuo nullus est, vt nulla est constans, ac perpetua narratio,

sed in partes diuisa. Laudes namque eius quem oratione commēdamus, vel quę vituperamus vitia, non omnia simul exponuntur, sed per partes narrantur, & amplificuntur, vnde fit, vt sint multę, ac minutę narrationes amplificatiōnibus exornatę. In Philipp. & Verrinis apud Cic. exempla. In Iudiciali statim post exordium adhibenda narratio, & quidem tota; quam confirmatio subsequetur. Deliberatiuum narratione non indiget, quoniam (vt ait Arist.) de rebus futuris nemo narrat.

Narrationis quinque sunt conditiones, vt dilucida sit, probabilis, suauis, breuis, propria. Propria erit, si sermonis, & vocum serue-

SYNTAGMA

tur proprietas, quę cum dilucida,
& perspicua oratione ferè cōuer-
titur, de quâ inferiūs. Breuis, si re-
dundet nihil, sed non ita dicemus
breuiter, vt non facile intelliga-
mur. Reliquę conditiones, quo-
niam egent maiori luce, separa-
tim explicabuntur.

QUOMODO DILUCIDA

Narratio fiat, quomodo suaui?

Cap. II.

NArrationem dilucidam effi-
ciunt tum verba, tum res ipsę.
Verba, si sint vsitata, & vulgò no-
ta, non obsoleta, vt doctiores exi-
stimemur; deinde ita hæc collo-
centur, vt nullam orationi ambi-
guitatem afferant, aut sensus per-
turbationem, vt: *In amœnam ibimus
ciuitatem. In male collocata miras*

offundit tenebras orationi. Tertiò vitentur Hyperbaton, parenthesis, digressio nimis longa, allegoria. Res efficiunt dilucidam, si à principio ad finem vsque omnia apertè, suo loco, ordine, ac tempore, non interruptè narrentur.

Suauitas narrationis ex duobus quasi fontibus nascitur, ex ipsis rebus, & ex verbis, & eorum collocatione. De secundo, inquit Tull. *Suaue erit genus dicendi elegantia, incunditate, coniunctione, quæ neque habeat incurfus, neque hiantes syllabas.* De primo hæc ipse Cic. tradit præcepta.

I Ut admisceantur, quæ auditores in admirationem ducant. Ea sunt noua, magna, inaudita, & quibus auditores doctiores fiant,

SYNTAGMA

Cic. Philip. 5. *Multa memini, multa audiui, multa legi, nihil ex omnium seculorum memoria tale cognoui, &c.*

2. Vt exitus habeat inopinatos (hoc est cum post suspensionem aliquid subiungitur inopinatum) qualis est illa Cic. 6. in Verr. de Præatore Domitio, qui cum cognouisset aprum ingentem venabulo occisum à pastore, hunc tandem, quod venabulo bestiam occidisset, in crucem tolli iussit; & qui ad premium occurrerat, inopinatum tulit supplicium.

3 Vt. interponantur varij animorum affectus loco, & tempore concitati. Vnum Cic. illustrissimum exemplum indicabo 3. in Verr. *Constituitur in foro Laodice. e spectaculum, & acerbum, & miserum.*

4 Vt inter narrandum, personarum admisceantur colloquia. Exempla apud Cic. obuia.

QUOMODO FIAT NARRATIO probabilis? Cap. 12.

MUltis modis narrationem fieri posse probabilem, Cic. ostendit in part. 1. à personis in quibus considerata præcipuè sunt nomen, natura, fortuna, orationes. Nomen, vt Cic. pro Rosc. Amer. *Occiso Sexto Rosc. primus Ameriam nuntiat Manlius Glaucia, quidam homo tenuis, ac libertinus, cliens, & familiaris istius T. Roscij.* Natura, si timidus an audax? prodigus an auarus? Ad naturam referuntur sexus, patria, natio, ætas; an vir vel fœmina, Italus an Hispanus, Romanus an Atheniensis, puer an ado-

SYNTAGMA

lescens? pro Milone. *Vbi vidit homo (Clodius) ad omne facinus paratissimus, fortissimū virum, inimicissimū suū, certissimum Cōsidem, &c.* In fortuna spectatur nobilitas, & diuitiæ, atq; his contraria, pro Ros. Am. *Sext. Roscius pater huiusce municeps Amerinus fuit, cum genere, & nobilitate, & pecunia, tum gratia florens, &c.* Orationes multo probabiliorem sæpe orationem efficiunt, pro Mil. *Palam agere capit, & apertè dicere occidendum Milonem.* Hæc præcipuè in personis considerari oportet.

2. Fit narratio probabilis à temporibus. Cic. pro M. Coelio docet à tempore, Coelium Catilinæ familiarem non fuisse.

3 A loco; pro Milon. *Vt ante fundum suum insidias Miloni collocaret.*

Nonnunquam, & locus, & tempus vna copulantur, pro Ros. Am. *Occiditur ad balneas Palatinas rediens à cœna Sext. Roscius.*

4 A causis, Cicero multas adhibet, pro Mil. *Cur Miloni Clodius, non Clodio Milo pararit insidias.*


5 Si testata dici videbuntur, pro Mil. *Quin etiam Fauonio fortissimo viro querenti ex eo, qua spe fureret Milone viuo : respondit, triduo illum, ad summum quatruiduo periturum; quam vocem eius ad hunc M. Catonem statim Fauonius detulit.*

6 Si cum more, & consuetudine, ibidem. *Sin hoc, & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa prescribit, ut omnem semper vim quacumq; ope possint, à corpore, à capite, à vita sua propulsarent, &c.*

SYNTAGMA


7 Si narrantis probitas, vel rei significabitur. Probis enim viris, & de probis dicentibus facile credi solet.

8 Si memoria dicentis non hæreat, vel vacillet, nam cum vacillare, & hæsitare videtur orator, suspecta fit veritas. Atque hæc de Narratione.



DE CONFIRMA-
tione tertia orationis
parte.

QVIBUS CONFIRMATIO?
*quibus rebus conficiatur? quid ar-
gumentum? quid argumen-
tatio? Cap. 13.*

 Onfirmatio est rerum, *que
dubia, obscura, vel non omni-
bus nota sunt, certis, vel pro-
babilibus argumentis stabilitio.* Narra-
tioni adnectitur, ad illam proban-
dam (vt ait Cic.) & stabiliendam,
vel etiam exaggerandam; & leni
argumentatione, & amplificatio-
ne conficitur. Argumentatio fi-
dem spectat; amplificatio ve-

SYNTAGMA

ro, & fidem, & motum. In genere demonstratiuo nullus est penè argumentationi locus, nisi forte, vt ait Arist. quæ laudentur, aut incredibilia sint, aut alius existimetur illorum author. De vtroque confirmandi genere breuiter, & enucleatè dicemus.

Argumentum est probabile inuentum ad faciendam fidem. Cum inuenimus aliquid clarius, & apertius, vt quod incertum est, & obscurum intelligatur. Vt si probādum mihi esset, voluptates esse fugiendas, dicerem: *Omnia fugienda quæ ad certum exitium homines trahunt*; quod negare nemo potest; tum adderem, *eiusmodi esse voluptates*; demum concluderem; *esse fugiendas.*

Argumen-

Argumentatio, re ab argumen-
to non distat, sed modo tantum
differt. Et deffinitur, Argumenti
explicatio, vel expositio. Hoc e-
nim est argumentationis pro-
prium, quod in argumento pres-
sius dictum est, fusius, & ornatius
explicare; vt in ipso argumento
de fugiendis voluptatibus videri
potest. Hoc modo.

*Fugienda, & quàm longissimè a-
mandanda, quæ hominum natura sunt
perniciosa, illique certum exitium affe-
runt, dubitare quis potest, qui ad dubi-
tandum ratione utatur (Aud.) cum ne-
mo sit, qui nature quodam instinctu, quo
ne belluæ quidem, nec muta pecudes ca-
rēt, quamuis rationis expertes, vite in-
colunitatem non amet, exitium non
perhorrescat?*

D

SYNTAGMA

Quot vero damna secum afferant voluptates, quàm apertum corporis, animique interitum, tum ipsa luce clarius aspicietis, cum veterum historiarum monumenta recoleantur, cum in memoriam redibitis superiorum temporum, in quibus toties excisas urbes, toties euersa regna, toties equata solo imperia comperietis, quoties insignis aliqua voluptas est dominata. Voluptas Græcorum opes afflixit, voluptas Asiæ pulcherrimas urbes euertit, voluptas nostrâ etiam memoriâ Europæa regna funditus demolita est.

Quis igitur tam perniciosum quàm dulce malum, tam iucundum quàm certum exitium, quod voluptatem mortales appellant, & venenum dicere debuissent, non dico non fugiat, sed perhorrescat, & quâ longissimè à se repellat?

Ad inuenienda huiusmodi argumenta, quibus rem, de qua agimus, certam, vel probabilem, vel certè faciamus verisimilem, quædam sunt notæ, signa, sedesque, vbi sunt reperienda, quos locos Topicos appellamus; de quibus infra.

*QVOTVPLICIA ARGV-
menta? ac primum de Definitio-
ne. Cap. 14.*

DVplicia sunt oratoria argumenta, & insita, & remota. Insita sunt, quæ in eo ipso de quo agitur, hærent. Remota, seu assumpta, quæ extrinsecus ad illius probationem assumuntur. Vt si dicamus eloquentiam esse expetendam, quod sit *Ars benedicendi*, ratio est insita in eo, de quo agitur; elo-

S Y N T A G M A

quentia enim est *Ars benedicendi*.
 Verum si expetendam dicamus,
 quod Platoni, vel Ciceroni pla-
 cuit, ratio erit remota; authoritas
 enim illorum non est in ipsa elo-
 quentia, seu Rhetorica. Loci vero
 vbi hæc latent argumenta, duo
 sunt ac viginti, quos Topicos so-
 lent appellare.

I Locus est definitio, quæ nihil
 aliud est, quàm declaratio nature,
 seu substantiæ rei, quæ definitur,
 vt Rhetorica est ars benedicendi.
 Perfecta Definitio genere constat,
 & differentia; genus est, quid
 commune cum multis; differen-
 tia est, quid solius rei definite pro-
 prium, vt videre licet in Rhetori-
 cæ definitione. Ars est genus, be-
 nedicēdi differentia. A definitio-

ne sic ducitur argumentum. *Rhetorica est ars benedicendi : benedicendi ars est expetenda: Rhetorica igitur expetenda est.* Argumenta ab hoc loco apta sunt laudi, ac suasioni virtutum, & bonarum artium.

Huc referuntur definitiones improprie, quas descriptiones vocant, quibus non tam rei natura, quàm eius proprietates, & qualitates declarantur. Sic Cic. de oratore 2. describit Historiam. *Historia (inquit) testis est temporum, lux veritatis, vita memoriae, nuntia vetustatis. & Tuscul. 5. Philosophiam. Vitae dux, &c.*

DE PARTIVM DISTRIBUTIONE. Cap. 15.

ARgumento à partium distributione sic est utendum, nul-

SYNTAGMA

lamvt partem relinquamus. Tractatur hic locus tribus modis potissimum.

1 Vel affirmatis omnibus partibus, totum affirmatur. Cic. pro Mil. probat Milonem ab vniuerso pop. Rom. diligi, à partium enumeratione. *Milo à Senatu diligitur, ab ordine equestri & plebe Roman. ab vniuerso igitur populo Romanorum.* Sic pro leg. Man. optimum esse Imperatorem Pompeium, quatuor enumeratis partibus, quæ optimum constituunt Imperatorem.

2 Negatis omnibus partibus totum negatur. Vt si probare velis cum Cicerone in Topicis aliquem liberum non esse, sic probabis. *Non censu, neque vindicta, ne-*

que testamento liber es factus (cum his tantum modis libertate apud antiquos donaretur) *igitur non es liber.*

3 Cum remotis cæteris omnibus partibus vna sola relinquitur. Ut si latronem arguas, *Hanc pecuniam aut habuisti ipse, aut ab aliquo accepisti: aut inuenisti, aut surripuisti: sed neque ipse habuisti, nec accepisti ab aliquo, nec inuenisti, quid ergo? surripuisti.*

Moneo, si aliqua pars fuerit, quam non enumeremus, nullum est argumentum. Vtilis est huius loci vsus, & aptus partitioni orationis; designatis enim partibus facta est orationis partitio. Sic Cic. partitus est Manilianam.

DE NOTATIONE, ET

N Coniugatis. Cap. 16.

Notatio est ethymologiæ ver-

D 4

SYNTAGMA

borum inquisitio. Huius loci argumenta futilia, nisi ipsa nominis significatio vim contineat aliquam peculiarem, vt Iesus, Ioannes, &c. Cic. in Pisonem. *Si Consul est, qui consulit patrie, non igitur Piso Consul, qui eam euertit.*

4. Locus præcedenti finitimus, sunt quædam verba ab eodem exorta principio, non nihil variata, vt Regnum, Rex, libido, libidinosus, &c. Cic. Tuscul 4. *Quis enim potest, in quo libido, cupiditas ve sit, non libidinosus, & cupidus esse? in quo ira, non iracundus? in quo angor, non anxius? in quo timor, non timidus?*

DE CAUSIS, ET EFFECTIS. Cap. 17.

CAusa est, quæ sua vi efficit id, cuius est causa vt vulnus mor-

tis, cruditas morbi. Eius quatuor sunt genera. 1. dicitur causa finalis, cuius gratia aliquid fit; vt causa belli, pax. 2. Efficiens, quæ facit vt aliquid fit; vt ignis, causa incendiij. 3. formalis quæ rebus omnibus nomina dat, per quam res est id, quod est, & ab alijs distinguitur, vt animus rationalis est formalis causa hominis; figura, statuæ. 4. Materialis est subiectum, ex quo fit aliquid naturale, vel artificiale; vt corpus, materia ex qua fit homo: ferrum, ex qua ensis. Sit exemplum in homine, cuius materialis causa est corpus; formalis, animus, efficiens, Deus, finalis cælestis Beatitudo. Materiali, & formali causa rarissimè vtuntur oratores; efficienti, & finali frequen-

SYNTAGMA

O Rutuli, mea fraus omnis, nihil iste, nec ausus,

Nec potuit. Cælum hoc & conscia sydera testor.

3. Finalis causæ septem sunt capita, quæ finalia dicuntur. Necessarium, utile, honestum, facile iucundum, legitimum, & possibile. Valent hæc capita ad suasionem præsertim. Cic. pro P. Sextio, sic hortatur à fine. *Hæc imitemini, per Deos immortales, qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam queritis. Hæc ampla sunt, hæc diuina, hæc immortalia. Hæc fama celebrantur, monumentis mandantur annalium, posteritati propagantur.* Exempla apud oratores occurrunt multa.

Effecta sunt, quæ sunt orta de causis, vt dies, solis; morbus, cruditatis. Cic. probat ab effectis

Pompeium rei militaris esse peritissimum, quod nullum belli genus esse posset, quod non ille cum laude confecisset. Mirabilem dicendi copiam suppeditare solet hic locus.

*DE ANTECEDENTIBVS,
& consequentibus. Cap. 18.*

ANtecedentia sunt illa, quibus positis, alia sequuntur necessario. Vt vulnus dicitur antecedens comparatione mortis; peccatum comparatione damnationis. Sic ex bellis ciuilibus licebit probare, exitium Reip. futurum.

Consequentia dicuntur illa, quæ consequuntur necessario ex antecedentibus, vt damnatio ex peccato poenitentia non deleta, Reip. calamitas ex discordijs ciui-

SYNTAGMA

libus. Ab hoc loco fit argumen-
tum, cum ex his quæ consequuta
sunt, cognoscimus conditionem,
& naturam eorum, quæ præcesse-
runt. v. g. quanta peccati grauitas
fuerit, licebit colligere ex innu-
meris, quæ ex illo peccato conse-
quuta sunt malis.

DE ADIUNCTIS. Cap. 19.

A Diuncta (quas vulgò appel-
lant circumstantias) sunt ea,
quæ cum re, de qua dicitur, sunt
coniuncta, quæ illo versiculo con-
tinentur.

*Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur,
quomodo, quando.*

Ex quibus in personis quædam
antecedunt vitam hominis. Pa-
tria, genus, maiores, signa seu pro-
digia, &c. Alia comitantur, vt bo-

na fortunę, corporis, & animi, & generaliter honestè vel turpiter facta. Alia subsequuntur, vt genus mortis, si quid accidit animaduersione dignum, honores habiti, statuę, desiderium bonorum, ciuium mœror, miracula, &c. Et vt personæ, sic res aliæ sua habent adiuncta, antecedentia, comitantia, & subsequencia. v.g. homicidium solent præcedere inimicitia, minę, &c. Comitari tempus, locus, apparatus, &c. Subsequi titubatio, fuga, cruentus gladius, &c. Exemplum est illustre in Miloniana, vbi Cic. probat ab adiunctis Miloni factas insidias fuisse, non è contra. Præbet hic locus magnam copiam ad laudem personarum, ad prædicatio-

SYNTAGMA

nem beneficiorum, & facinorum
egregiorum. Ex circumstantijs
constat tota confirmatio oratio-
nis pro Milone, ab illo loco. *Quo-
nam igitur pacto probari potest.*

*DE SIMILITVDINE, ET
dissimilitudine. Cap. 20.*

Similitudo est, quæ ex re dispari
traducit aliquid ad rem, de qua
agitur, simile. Est autem triplex,
1. Similitudo rei naturalis, quæ
sumitur ex rebus naturæ. 2. Rei
gestæ, quæ ducitur ab exemplis
rerum quæ verè sunt gestæ. 3. Rei
fictæ, quæ in fabulis, & apologis
cernitur. Naturalis est illa Virg.
lib. 12. sub initium.

*Vltro implacabilis ardet,
Attollitque animos, Pænorum qualis in
aruis*

Saucius

*Saucius ille graui venantum vulnere
pectus,*

Tum demum mouet arma leo, &c.

Rei gestę, illa, Cic. pro Mil. *Ni-
si vero existimetis dementem P. Afri-
canum fuisse, qui cum à C. Carbone
Trib. Plebis in concione seditiose inter-
rogaretur, quid de T. Gracchi morte se-
tiret, respondit, iure casum videri.* Rei
fictę, illa, pro lege Manil. *Ex suo
Regno ita Mitridates profugit, ut ex
eodem ponto Medea illa quondam pro-
fugisse dicitur, &c.* Si similitudines
cōglobētur, inductionē efficient;
monet Maioragius in part. Cic.

Vndecimus est locus, rei dissi-
militudo, de qua agitur, ab alijs
rebus, Cic. lib. 2. de oratore. *Si
barbarorū est in diē viuere, nostra consi-
lia sempiternū tempus spectare debent.*

E

SYNTAGMA

DE CONTRARIIS, ET
repugnantibus. Cap. 21.

DVodecimus locus est contrariorum, quorum vnum opponitur alteri, vt virtuti vitium, album nigro; à quibus sic ducitur argumentum. Mentiri turpe est, igitur honestum vera dicere. Ex hoc loco est illud, Cic. pro Mil. *Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querela? quem iure, quem loco, quem tempore, quem impunè non est ausus, hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis non dubitauit occidere?* Nonnunquam hic locus, totam poterit orationem efficere. Cic. tota octaua Philippica pacem cum Antonio constitui turpe esse ostendit, vt bellum suadeat.

Repugnantia dicuntur, quæ repugnant rei, de qua agitur, vt, amare aliquem, & eidem detrahere, egenti non subuenire, cum possis, eius bona diripere.

D E C O M P A R A T I O N E.

Cap. 22.

Comparatio est duarum rerum collatio. Quæ triplex est; maiorum, minorum, parium.

Comparatio maiorum est, cum contendimus, vt quod valet in maiore, valeat in minori; v.g. *Deus remittit iniurias, ergo debet homo remittere.* Cic. in Verr. 5. *Quid putandum est Verrem in Sicilia, & exteris locis fecisse, qui Romæ tam improbè latrocinatus est?*

Comparatio minorum est cum volumus, vt quod in minori vim

SYNTAGMA

habet, habeat in maiori, v.g. *Vale-
tudo corporis diligenter curatur: ergo,
& salus animi curāda diligenter.* Cic.
pro leg. Man. *Illi libertatem ciuium
imminutam non tulerunt, vos vitam
ereptam negligetis? &c.*

Comparatio equalium est, cum
contendimus, vt cum res sunt æ-
quales, quod valet in vna, valeat
in altera, v.g. *Catoni licuit bellum ci-
uile sequi* (ait Tullius) *ergo & Cicero-
ni.* Aptissima ex hoc loco desu-
muntur argumenta ad persuasio-
nem, vel etiam ad laudem benefi-
ciorum, & virorum illustrium.

DE GENERE ET FORMA.

Cap. 23.

GENUS est ratio aliqua commu-
nis inferiores alias sub se com-
plectens, quæ appellantur formæ

seu species. Vt Magistratus est genus, cuius species sunt Consulatus, Prætura, AEdilitas, Quæstura, Tribunatus. Atque hoc modo formatur argumentum à genere; *Si priuati ciues Magistratibus obtemperare debent: ergo etiam Prætoribus.*

Forma est, quæ sub genere cõpræhenditur, à quâ ad genus ducitur argumentum dupliciter. 1. per affirmationem, vt: *Patientia est fortitudo, ergo & virtus.* 2. per negationem: tum vero oportet omnes negare formas de illo, de quo velimus genus negare, vt si quis calliditatem non esse virtutem, sic probet. *Non est Prudentia, neque Iustitia, neque Fortitudo, neque Temperantia, non ergo virtus.*

SYNTAGMA

DE ARGUMENTIS ASSUMPTIS seu remotis. Cap. 24.

Argumenta assumpta, seu remota sunt illa, quæ petuntur foris, & à testimonio ducuntur. Hoc autem est duplex. Diuinum aliud; aliud humanum.

Diuinum est, quod ex sacris petitur litteris, ex Apostolorum traditionibus, ex Conciliis, Pontificum decretis, sanctorum dictis, ac sententiis; Et apud Ethnicos oracula, vaticinationes, auspicia, &c. *Et si quis probaret (ait Cic. lib. 1. Top.) Socratem omnium sapientissimū esse, quòd talem Apollinis oraculum esse dixerit.*

Humanum à tribus quasi fontibus nascitur autoritate, voluntate, oratione. **A**uthoritatem fa-

ciunt viri Principes, gentium ritus, nationum, populorum, artes, scientiæ, quæ vulgò recepta sunt prouerbia; senum etiam consilia, sed præcipuè virtus & probitas. Voluntatis expressio vel viuorum, vel mortuorum firmissimum est testimonium. Cic. pro Mil. voluntatem Clodij cum adhuc viueret Milonis occidendi producit. *Cum Fauonio fortissimo viro quaerenti ex eo qua spe fureret Milone uiuo? respōdit triduo illū, ad summū quatrīduo periturū.* Oratio duplex est, & libera, & expressa. Quæ enim spōtè dicuntur, vocantur libera, quæ autē coactè, expressa appellantur. Ad liberam spectant, rumor, præiudicium, præsentium dicta, tabulæ, iusiurandum, testes. Ad expressam

SYNTAGMA

verò, quæ tormentorum vi, quæ dolore; etiam ira, cupiditate, metúve extorquentur, & proferuntur.

DE VSV HORVM LOCORUM. Cap. 25.

EX supra dictis locis suppetunt argumenta, non ad omnem solum oratoriam quæstionem, verum etiam ad omnem rem, quæ in disceptationem hominum, sermonémve quotidianum possit venire. Non tamen omnes loci sunt quæstionibus omnibus æquè accommodati, atque copiosi: quibusdam enim, ex omnibus ferè locis possunt erui argumenta; aliis, ex paucioribus.

Illustremus exemplo, in hac quæstione. *Vtrum virtus Cummo stit*

dio sit amplectenda? quæ ex omnibus ferè locis potest confirmari: à definitione, quia virtus est quidam animi habitus, quo honestè viuitur: ergo summo studio appetenda est. 2. à partium distributione, quia prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia omni sunt studio amplectenda; ergo & virtus. 3. à causa efficienti, quia Deus est ipse author virtutis. 4. à causa finali, nam virtus ducit nos ad sempiterna bona, ad quæ sumus creati. 5. ab effectis, quia spes in Deo, tranquillitas animi, in morte securitas, alijque fructus innumeri emanant à virtute. 6. à contrario, quia nihil vitio detestabilius, ergo amabilius virtute nihil. 7. à comparatione minorum, salus enim corporis, honor diuitiæ non mediocri præcurantur studio, ergo & virtus ma-

SYNTAGMA

gno studio querenda. Hæc loca sit factis percurriffe, vt præferamus faciem tyronibus, quibus non ita facile est, ex his locis argumenta, & rationes eruere.

DE LOCORVM EX-
positione per argumen-
tationem.

*AC PRIMVM DE RATIO-
cinatione, & Enthimemate. Cap. 26.*

Indicatis locis, ex quibus ad omnem quæstionem erui argumenta possunt, reliquum est, vt qua ratione tractanda sint, & expolienda ostendamus. Expoliuntur (vt supra docui-

mus cap. 12.) per argumentationem, quæ argumenti ideo dicitur explicatio, & expositio. Cuius quatuor sunt genera. Ratiocinatio, Enthymema, inductio, & exemplum.

Ratiocinatio, seu syllogismus tribus partibus constat, prima dicitur propositio, cum qua eius ratio coniungitur, ut in exemplo superius posito videre est cap. 12. *Propositio est, Omne quod affert exitium homini, fugiendum est. Addatur ratio. Ipsæ enim vel mutæ pecudæ, & quæ ratione carent, illud effugiunt.*

2. Assumptio, per quam id quod ex propositione ad ostendendum pertinet, assumitur, ut: *Voluptates exitium afferunt homini. Adhibeatur deinde ipsius probatio. Exemplo sit*

SYNTAGMA

nationes omnes, ubi pestis hac dominata est, concidisse.

3. Conclusio siue complexio, quæ id infert, quod ex superioribus partibus colligitur; hoc modo: *Voluptates igitur fugiende sunt.*

Interdum vna tantum ratiocinatione oratione potest integra confici. Talis est Ciceronis illa ratiocinatio pro lege Man. quæ totius orationis summam complectitur. *Propositio. Ad bellum Mitridaticum summus Imperator mittendus est. Ratio. Est enim magnum, & periculosum bellum, quod à duobus potentissimis Regibus Mitridate, & Tigrahe nobis infertur; in quo agitur gloria Pop. Romani, salus sociorum, &c. Assumptio. Pompeius au-*

tem summus est Imperator. Probatio.
Nam in eo scientia rei militaris est,
& virtus, & authoritas, & felicitas.
 Complexio. *Quare Pompeius ad*
bellum Mitridaticum est mittendus.
 Accidit aliquando, vt probatio-
 ne propositio vel assumptio non
 indigeant, quare tunc probatio-
 nes omitti possunt, nisi quis eas
 exercitationis gratia velit infe-
 rere.

Enthymema est imperfectus
 syllogismus. Conficitur proposi-
 tione seu maiori cum comple-
 xione. v. g. *Omnis insidiator iure oc-*
ciditur, ergo iure Clodius occisus est.
 vel assumptione, seu minori, &
 complexione, vt: *Clodius est insi-*
diator, ergo iure Clodius occiditur. Ad-
 di debet sua propositioni, vel af-

SYNTAGMA

sumptioni probatio. Exemplum est illustre illud Cic. pro leg. Man. vbi Enthymemate probat Asiam prouinciam à Romanis contra Mitridatem regem defendendam esse. *Itaque vobis 22. si & pacis ornamenta, & subsidia belli vultis substinere, &c.* Hoc sæpius Oratores vtuntur argumento, quàm syllogismo, quare Aristoteles illud syllogismum appellat oratorium.

DE INDUCTIONE, ET *exemplo. Cap. 27.*

Inductio est argumentatio, quæ pluribus collationibus peruenit eò quò vult. Eius autem tres sunt species.

1. Ducitur ab exemplis, quæ apud oratores est frequentissima.

Cic. pro C. Bal. *Si M. Crassus, si Q. Metellus, si L. Sylla, si C. Marius, si Senatus, si Pop. Romanus iure fœderatos homines ciuitate donauit, etiam Cn. Pompeius Corn. Balbum fœderatum iure potuit ciuitate donare.*

2. Ducitur à similibus, quæ Socratica vocatur inductio, quod ea frequentissimè Socrates vteretur, vt: *Si agricola bonus est, quæ fertiliores agros, & meliores reddit: & pastor ille probandus est, qui meliores pecudes efficit: ita etiam princeps dignus est laude, qui subditos suos facit esse meliores.*

3. Ducitur à partibus, & totum colligit, quæ dicitur partium enumeratio, (de qua suprâ,) vt: *Plebs Rom. & equester ordo & Senatus male de Catilina sentit: totus ergo Rom.*

SYNTAGMA

populus de Catilina male sentit.

Exemplum est inductio imperfecta ex vna duntaxat collatione, quod magis mouere solet interdum, quàm verba, & argumenta. Hoc autem est duplex, alterum verum, fictum alterum. Verum est, quod historiam aliquam, aut rem gestam continet. in Cat. 2. *An vero vir amplissimus P. Scipio Pontifex Max. Tiberium Gracchum mediocriter labefactantem statum Reip. priuatus interfecit: Catilinam vero orbem terrarum cade, atque incendijs vastare cupientem nos Consules perferemus?* Fictum est, quod similitudinem vel fabulam continet: similitudinis est illud pro Aulo Cluent. *Vt corpora nostra sine mente, sic ciuitas sine lege, suis parti-*

partibus ut neruis, ac sanguine, & membris uti non potest. Fabule illud pro leg. Man. de Medea. Primum ex suo regno sic Mitridates profugit, ut ex eodem ponto Medea illa quondam profugisse dicitur, &c.

Aliæ argumentationum species ad superiores referuntur: de quibus consulite Cyprianum lib. 2. cap. 22. & seq. & Maioragium in part. Cic.

Moneo primum cum Cic. lib. 1. de inuent. refutationem eodem uti inuentionis fonte, quo utitur confirmatio. *Propterea quod (ait Cic.) quibus ex locis aliqua res confirmari potest, iisdem potest ex locis refutari.* Deinde tria esse in argumentationem tractatione seruanda. 1. ut vitetur similitudo:

F

SYNTAGMA

non enim frequentandæ sunt
eædem argumentationes; nec à
propositione, aut assumptione
semper est exordiendum. 2. Ni-
mia breuitas ab argumentatione
fit quam longissimè. 3. Adspergi
debet argumentatio verborum
flosculis, & orationis luminibus
illustrari. De quibus in amplifi-
catione, quæ secunda pars est
confirmationis, disputabimus.

~~XX~~D E A M P L I F I C A -
tione secunda Confir-
mationis parte.*Q V I D A M P L I F I C A T I O ?
quotuplex? Cap. 28.*

Quoniam, qui in dicendo
velit excellere, non fatis
est, si quæstionem propo-
sitam argumentis confirmet, nisi
auditorum etiam animos ad va-
rios excitet affectus, amoris, odij,
timoris, &c. prout res postulabit;
idque amplificationibus maximè
conficiatur; cum iam superius de
locis vnde eruenda sunt argumē-
ta, ac de ratione dilatandi illa, &
expolliendi dictum sit, reliquum

- F 2

SYNTAGMA

est, vt de amplificatione, quæ ad animorum motus pertinet, & in qua tota est vis orationis, differamus. Amplificatio igitur est vehemens quædam argumentatio, quæ non solum ad docendum assumitur in oratione, vt lenis argumentatio, sed etiam ad audientium animos permouendos. Hæc autem est duplex, alia inest in verbis, in rebus alia. Illa Tropis constat, & verborum figuris: hæc sententiarum luminibus, Incremento, Comparatione, Ratiocinatione, Congerie, & (vt sentit Zespedes) Progymnasticis.

*DE AMPLIFICATIONE
quæ est in verbis. Cap. 29.*

In verborum Amplificatione

primo quæreda sunt verba translata. Et quidem translata sunt ea, quæ per Tropos cum virtute mutantur, vt: *Lumen es, & ornamentum Reip.* Est enim Tropus translatio verbi à propria ad non propriam significationem cum virtute mutatio. De his consule Cyprianum, & Brauum, vtrumque Iesuitam.

Ad Amplificationem etiam, quæ in verbis est, referuntur omnes verborum figuræ. Est autem figura, *Ratio quedam, quâ de recto ac simplici loquendi genere cum aliqua virtute deflectitur.* Prima verborum figura est Repetitio, quæ in principio idem repetit verbum, Cic. in Cat. 2. *Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, &c.* 2. Con-

SYNTAGMA

uersio repetit in fine, vt: *Pænos populus Rom. iustitia vicit, armis vicit, liberalitate vicit.* 3. Complexio eandem omnino vocem sæpe in principio repetit, & in fine, Cic. pro Mil. *Quis eos postulauit? Appius. quis produxit? Appius.* 4. Conduplicatio est, cum geminatur verbum in oratione, Cic. in Cat. 1. *Viuis, & viuis, non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam.* 5. Synonymia, verba congregat idem significantia, Cic. in Cat. 2. *Abijt, excessit, euasit, erupit.* 6. Gradatio, quæ per gradus ascendit aliud ex alio deducendo, pro Rosc. Am. *In urbe luxuries creatur, ex luxurie auaritia existat necesse est, ex auaritia erumpat audacia.* 7. Asyndethon seu dissolutio, detrahit coniun-

ctiones ; vel in singulis verbis,
 Cic. *Sit in eius tutela Gallia, cuius
 virtutis, fidei, & felicitati commissa est.*
 vel in sententijs, pro Arch. poët.
*Hæc studia (humaniora) adolescentiam
 alunt, senectutem oblectant, se-
 cundas res ornant, &c.* 8. Annomi-
 natio, quâ paulum immutata
 verba atque deflexa in oratione
 ponimus. Quint. *Non in legatione
 immoriare, sed immorare.* Cic. Phil.
 3. *Non orator, sed arator.* 9. Anthie-
 ton, siue Contentio, cum singula
 singulis, bina binis, plura pluri-
 bus opponuntur, Cic. pro Cluët.
*Vicit timorem audacia, rationem a-
 mentia, pudorem libido.* Neque sem-
 per contra positum subiungitur,
 Cic. pro Mil. *Est hæc, iudices, non
 scripta, sed nata lex, quam non didi-*

SYNTAGMA

einus, accepimus, legimus, sed ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus, &c.

Ad hanc etiam verborum amplificationem conducunt maximè verba grauia, & plena, qualia sunt illa, *immanis hostis, monimentum sui nominis cruentauit.* 2. Verba composita, vt *contremisco, perterreo.* 3. Verba à communi sermone remota, pro Mil. *Certè optabilius Miloni fuit dare iugulum Clodio, non semel ab illo, neque tum primum petiit, quam iugulari à vobis.* 4. Numerus est diligenter obseruandus, ita vt feliciter decurrat oratio, & felicissimè terminetur. (de quo infrà cap. 42.) Quare Cicero assiduè legendus, & notandus est.

quæ est in rebus. Ac primum de sententiarum figuris. Cap. 30.

Amplificatio, quæ in rebus est, sententiarum primum figuris constat (vt supra monuimus) quæ lumina sunt orationis, & (vt ait Maioragius) tanquam stellæ quædam maximè illustrant orationem, & ad mouendos auditores potissima sunt. Quarum prima subit.

1. Interrogatio, quæ tum maximè orationem exornat, cum assumitur non percontandi causa, sed instandi, Cic. in Cat. 1. *Quousque tandem abutere Catilina patientia nostra? A Eneid. 2. Et quisquam numerum Iunonis adoret?*

2. Interrogationi proxima est

SYNTAGMA

responsio, quâ utimur, cum aliud interroganti, aliud respondemus, ut vapulasti? Innocens. Vulnerasti hominem? Latronem.

3. Subiectio est, cum suis interrogationibus orator satisfacit, aliena responsione non expectata.

Hoc modo. *Apud quem de virtute disputo? nempe apud eum, qui virtutis non laudes solum, sed actiones etiam cum omnium admiratione veneratur.*

In peroratione Miloniana exemplum pulcherrimum. *Me non potuisse, &c.*

4. Præteritio est, cum dicimus nos præterire, aut non scire, aut nolle dicere id, quod tum maxime dicimus, ut, *Non dico te pecunias à socijs accepisse, domos, ciuitates, regna fuisse depopulatam: furta ac rapi-*

nas omitto.

5. Occupatio, cum id, quod obijci potest, occupamus, hoc modo: *Fortasse in tuis me fraudibus, & dolis, versatū calumniaberis? sit ita sanè, dummodo te fraudum ducem, & principem, me vero spectatorem fuisse profitearis.*

6. Correctio verbum vel sententiam, quæ exciderat, corrigit, & emendat, in Verr. 7. *Perfricuit ille frontem, imò nec frontem quidem habet.*

7. Dubitatio est cum ambigimus, quo sit oratio inchoāda principio, & quo fine terminanda, Cic. in Verr. 5. *Quid agam Iudices? quam accusationis meæ rationem conferam? quo me vertam?* Communicatio est, cum vel iudicem, vel

SYNTAGMA

aduersarios, vel auditores confu-
limus, Cic. *Si vos inter micantes ho-*
stium gladios essetis, quid aliud, quàm
Milo fecissetis?

9. Prosopopœia est ficta perso-
narum inductio; hac vrbes, popu-
los, mortuosque loquentes faci-
mus, Cic. in Cat. i. patriam indu-
cit secum loquentem. *Marce Tuli*
quid agis? & quæ sequuntur. Huc
spectant Metamorphoses Oui-
dianæ, & aliorum, quibus famæ,
noctis, diei, auaritię similibus alijs
membra, motus, & sermones af-
fingit.

10. Apostrophe est, cum sermo-
nem ab ijs, de quibus loqueba-
mur, ad præsentis, vel absentes,
conuertimus. *O mundum fallacem!*
quàm blanda sunt, & dulcia que pro-

mittis! quàm dura, & amara que reddis!

11. Hypotyposis est illustris rerum explicatio, quæ res omnes ita subiicit oculis, ut cerni videantur; qualis est illa Virg. lib. 12. de Turni amentia Bacchantis.

His agitur furijis, totoque ardentis ab ore

Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis.

12. Etopœia est imitatio morum, & alienæ vitæ. Cic. in Pisonem. *Hostis ille tuus Consul designatus, alio vultu, alio vocis sono, vestitu obsoletiore, capillatiore, quàm ante, barbæ, &c.*

13. Sustentatio est, quâ diu suspendimus auditorum animos, & aliquid deinde subiungimus ino-

SYNTAGMA

pinatum. Cic. in Verr. 7. *Quid deinde? quid censeatis? furtam fortasse, aut predam aliquam?* Deinde adiungit, quod multò peius est, & improbius.

14. Concessio est, cum aliquid aduersario concedimus, etiam iniquum, ut eo maius aliquid inferamus, Cic. in Verr. 5. *Leuia sunt in hoc reo crimina. Metum virgarum Nauarchus nobilissime civitatis pretio redemit; humanum. Alius ne condemnaretur pecuniam dedit; usitatum est. Non vult Populus Rom. obsoletis criminibus accusari Verrem, noua postulat, inaudita desiderat.*

15. Ironia est, cum contra, ac dicimus, sentimus, pro Milone: *P. Clodij mortem equo animo nemo ferre potest, luget senatus, mæret equester or-*

do, tota ciuitas confecta senio est, &c.

16. Reticentia orationem affectu plenam interrumpit. Virg. lib. 1. A Eneid.

Quos ego ? sed motos præstat componere fluctus.

Emphasis, Deprecatio, Execratio, Epiphonema, Exclamatio, & Optatio, exornationes quidem sunt sententiarum, sed toties obuię, vt vel ipso nomine intelligantur. Atque hæc de figuris.

DE AMPLIFICATIONE incrementi, & comparationis. Cap. 31.

AMplificatio incrementi est, cum crescit oratio quod tripliciter potest accidere. 1. cum per gradus ad summum ascenditur. Cic. in Verr. 7. *Facinus est vincire ciuem Rom. scelus verberare; prope*

SYNTAGMA

*parricidium necare; quid dicam in truce
cem tollere?*

2. Quando non per gradus itur,
sed summum, quod diximus, ite-
ramus quasi maius. Quint. lib. 8.
cap. 4. *Matrem tuam occidisti, quid
dicam amplius? matrem tuam occi-
disti.*

3. Quando priori maius inse-
quitur, non per gradus. Cic. Phi-
lipp. 2. sic Antonij vomitum per
incrementum amplificat. *In cætu
verò Populi Rom. negocium publicum
gerens, magister equitum, cui ructare
turpe esset, is vomens frustis esculentis
vinum redolentibus, gremium suum, &
totum Tribunal implevit.*

Comparatio est, cum diuersa
inter se, & maioribus minora con-
feruntur, hæc minora extollendo,
vt ma-

vt maiora multò magis amplifi-
centur. Philip. 2. *Si hoc tibi* (de vo-
mitu loquitur) *inter cœnam in tuis*
in manibus illis peculis accidisset, quis
non turpe duceret? in cœtu verò Populi
Ro. &c. vbi multum valet amplifi-
catio comparationis, loci, perso-
næ, temporis, &c.

D E A M P I F I C A T I O N E

Ratiocinationis, Cap. 32.

Ratiocinationis amplificatio
dicitur, quando vt aliud cref-
cat, aliud augetur. Fit autem va-
rijs modis. Primo; ab anteceden-
tibus, cum, vt amplificemus id
quod dicturi sumus, ea, quæ ante-
cedunt exaggeramus. Exemplo
fit Virgiliana tempeſtas lib. 1.
AENEID; AEOLUS enim.

Cauum conuerſa cuspide montem.

G

SYNTAGMA

*Impulit in latus, ac venti velut agmine
facto*

Quà data porta, ruunt.

Vnde apparet, quanta sit futura tempeſtas, cum AEolus ventorum clauſtra reſerarit, ac venti facto agmine irruerint.

2. A conſequentibus. Ex illis enim intelligimus rerum præcedentium magnitudinem. Cic. Philipp. 2. *Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate tantum vini in Hyppie nuptijs exhauferas, ut tibi neceſſe eſſet in populi Rom. conſpectu vomere poſtridie.* Nimiùm hauſiſſe vini colligimus, cum tandiù excoquere illâ corporis firmitate non potuerit.

3. A concomitantibus. Eiuſmodi ſunt illa Virgil. lib. 3. AEneid.

Iacuitque per antrum immensum, & li. 2. Demissum lapsi per funem. Hinc colligimus equi Troiani magnitudinem, inde vastam Polyphemi mollem.

4. Cum ea, quæ præcedunt, artificiosè leuamus, quamuis grauiissima, quò grauiora videantur quæ sequuntur. In Verr. 7. *Leuia sunt in hoc reo crimina. Metum virgarum. Nauarchus nobilissima pretio redemit; humanum est. Alius ne condemnaretur pecuniam dedit; vsitatum est, &c.* vnde colligere possunt audientes, quantum illud esset quod inferebatur, cui comparata hæc omnia humana viderentur, & vsitata.

5. Cum aliquid laudamus maximè, vt aliud pari vel maiori

SYNTAGMA

laude dignum dicamus. Virg.
 Turni fortitudinem exaggerat,
 vt AENEÆ laudes multò reddat
 clariores, qui Turnum superarit.
 6. Ex instrumentis quibus vtun-
 tur homines oritur etiam conie-
 cturalis amplificatio. Vt est illa
 Virg. lib. 3. AENEID. de Cyclope.
Trunca manum pinus regit. Vnde
 maximis viribus præditum fuisse
 conijcimus.

DE AMPLIFICATIONE congeriei. Cap. 33.

Amplificatio congeriei dici-
 tur, quòd in ea multa con-
 gerantur, siue verba, siue etiam
 res: & est semper vehementissi-
 ma. Ad verborum congeriem va-
 lent figuræ Synonimia, Antithe-
 ton, Conduplicatio, de quibus

suprà.

Congeries verò rerum triumphat in oratione, quomodocunque res congerantur. Est autem multiplex.

1. Rerum congeries est definitionum, seu descriptionum, quæ amplificatio plurimum valet ad laudes exaggerandas, ad vituperanda vitia, & ad animos auditorum inflammandos, Cic. pro Milon. *Templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilij publici, caput urbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem uniuerso pop. Rom. concessam inflammari, excindi, funestari.*

2. Est congeries consequentium perorationibus aptissima, cum ea proferuntur mala, vel bona, quæ consequutura, sunt. Pro Milone.

G 3

SYNTAGMA

Quid respondebo liberis meis, &c.
 Pro Murena. Ibit igitur in exilium miser? quo? ad orientis-ne partes, in quibus tot annos legatus fuit, exercitus duxit, & res maximas gessit? At habet magnum dolorem, unde cum honore discesseris, eodem cum ignominia reuerti. An se in contrariam partem terrarum abdet? in ea porro provincia, quo animo fratrem aspiciet? qui huius dolor? qui illius meror? que utriusque lamentatio, &c.

3. Contrariarum rerum inter se confligentium, hoc est, cum aliqua opponuntur contraria. in Catil. 2. Hoc vero quis ferre possit? inertes homines fortissimis insidiari, stultissimos prudentissimis, ebriosos sobrijs, dormientes vigilantibus? Et in eadem 2. illustre est illud exem-

plum. *Ex hac enim parte pudor pugneat, illinc petulantia, &c.*

4. Rerum dissimilium, qualis est illa Philip. 2. *Quae in illa villa (cum Pompei esset) ante dicebantur? quae litteris mandabantur? iura populi Rom. monumenta maiorum, omnis sapientia, atque doctrina; at vero te inquilino, non enim Domino, personabant omnia vocibus ebriorum, natabant pavimenta vino, madebant parietes.*

5. Rerum inter se repugnantium. Pro Mur. *Ne L. Murenae recentem gratulationem nova lamentatione obruatis.*

6. Causarum. Cicero in Verr. 1. multas congerit causas, cur ad accusandum Verrem accedat. *Adductus sum (inquit) Iudices officio, fide, misericordia, &c.*

SYNTAGMA

7. Effectuum, qualis est illa in Verr. 3. *Nisi libidini tue, cupiditati- que paruerit, immittentur homines, expugnabuntur domus, ciuitates non modo pacatæ, verum etiam sociorum, atque amicorum ad vim, atque ad arma confugient, &c.* Et Philip. 2. *Doletis tres exercitus populi Rom. interfectos? interfecit Antonius, &c.*

8. Similitudinum. Pro Arch. poëta. *Saxa, & similitudines voce respondent, bestie sepe immanes cantu flectuntur, atque consistunt; nos instituti rebus optimis non poetarum voce moueamur?*

9. Exemplorum, quæ mouere interdum plurimum solent. Pro Milone Cicero probat exemplis Seruiliij, Nasicæ, & aliorum perniciosos ciues posse nonnun-

quam cum laude necari.

10. Fictarum personarum. Pro M. Cœlio, senem illum Appium cœcum à mortuis excitat Cicero, & inducit, qui turpibus amoribus deditam Clodiam reprehendat. Et pro Mil. Milonem ipsum ita loquētē. *Valeant (inquit) valeant ciues mei, &c.*

11. Mutarum rerum, cum muta loquentia inducuntur. In Catil. 1. patriam facit loquentem. *Etenim si mecum patria, que mihi vita mea multo est charior, si cuncta Italia, si omnis Resp. loquatur, Marce Tulli quid agis, &c.*

DE CONGERIE ADIUNCTORUM. Cap. 34.

VLtima est adiunctorum, seu circumstantiarum, quâ nul-

SYNTAGMA

la potior ad orationem amplifi-
candam, neque vberior ad co-
piam. Trito illo versiculo conti-
nentur, quem superius laudau-
mus.

*Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur,
quomodo, quando.*

Quis. Primò personam inspi-
ciemus; publica an priuata sit,
docta, an imperita, nobili, an hu-
mili loco nata, &c. Ex hac cir-
cunstantia amplificat Cic. cæ-
dem Drusi, & Africani, in ora-
tione pro Mil. *Domi sue nobilissi-
mus vir, &c.* Et pro M. Marcello,
Cæsarem ad studium gloriæ ex-
citat. *Parum-ne igitur, &c.*

Quid. Qualis sit res, sacra, vel
prophana; utilis an perniciofa;
facilis, an difficilis; &c.

Vbi. Locus est inspiciendus, sacer, an prophanus, secretus an publicus, &c. Vt si viro nobili publica fit illata contumelia.

Quibus auxilijs. Instrumenta artis consideranda sunt; quos comites ad aliquid agendum quis habuerit, paucos an multos; fortes an imbecilles, &c.

Cur. Finis, qui amplam dicendi materiam præbet.

Quomodo. Considerabitur modus quo fit aliquid tardè, an celeriter; stultè, an prudèter; temerè, an consultò, &c.

Quando. Scrutabimur tempus, quò res est gesta, vt si hyeme, vel æstate; pacis tempore, an belli; diu, an noctu. Subijciamus exemplum de Horatio Coclite, qui

SYNTAGMA

hostium agmen in Sublicio ponte
solus sustinuit.

Quis? Horatius Cocles, vbi
amplificari persona potest à de-
finitionibus.

Quid? Totum hostium agmen
retinuit fortissimum, copiosissi-
mum.

Vbi? In ponte Sublicio, loco pe-
riculoso, difficili.

Quibus auxilijs? Solus, ense &
dextra fidens, sua militari virtute
communitus.

Cur? Patriæ vindicandæ causa,
& tuendæ; vel quærendæ laudis
& gloriæ.

Quomodo? Occupato primo
pontis aditu, omnes impetus ho-
stium retardauit.

Quando? Belli Etrusci tempo-

re, furentibus hostibus, urbem-
que conantibus expugnare, &
euertere.

*DE AMPLIFICATIONE
progymnasmatum. Cap. 35.*

Progymnasmata, quibus am-
plificatur, & illustratur maxi-
mè oratio, minora dicuntur à
Quintiliano Rhetorices opera,
& maiorum quasi partes, &
membra; in quibus exerceri o-
portet, adolescentes antequam
ad maiora ascendant, & tractent
grauiora. Hæc autem quatuor-
decim numerantur: maiora sex,
Fabula, Narratio, Etopœia, Des-
criptio, Locus communis, Com-
paratio. Octo verò, quæ maiora
dicuntur, Chria, Sententia, Con-
futatio, Confirmatio, Laus & vi-

SYNTAGMA

tuperatio, Thesis, Legislatio. Ad Demonstratiuum genus pertinent Laus, Vituperatio, & Comparatio. Ad Deliberatiuū Chria, Sentencia, Thesis. Ad Iudiciale Confutatio. Quinque reliqua omnibus causarum generibus sunt communia. Inferemus hoc loco præcipua.

DE FABVLA, ET NARRATIONE. Cap. 36.

Fabula est, quæ verisimili dispositione (vt ait Nunnesius) refert speciem quandam veritatis, causâ admonitionis. Valet tum ad delectandos audientium animos, tum ad permouendos plurimum. Si fufius tractetur, ab authoris laude incipiendum est, cuius aut ingenium, aut pru-

dentiam, aut mores possunt laudari. Sequitur deinde expositio, & fermocinatio, ipsis rebus, quas fingimus, sermonem tribuendo. Conclufione tandem colligitur, quid ea fabula doceat, quod ad humanos mores pertineat, exhortatione quadam adhibitâ. Exordio sæpe deseruit fabula, confirmationi sæpius, si langueant auditores.

De Narratione vide quæ diximus, capit. 10. 11. 12.

*DE ETHOPOEIA, ET
Descriptione. Cap. 37.*

Ethopœia est imitatio sermonis ad mores, & subiectas personas, & res accomodata. Est autem triplex. Aut enim fingimus, quid viuentes dicerent: &

SYNTAGMA

tunc Ethopœia dicitur. Aut loquentes mortuos inducimus, & tunc Idolopœia vocatur. Aut rebus ceteris sermonem tribuimus, & tunc Profopœia appellatur. Exempla petere licet ex figuris.

Magna habenda est ratio personarum, vel rerum quas inducimus, nam aliud debet esse iuuenis sermo, aliud senis: gaudentis aliud, aliud dolentis: in quarum singulis tria sunt expectanda tempora, præsens nimirum, præteritum, & futurum.

Descriptio est oratio, quâ rem, de quâ agimus, diligenter exprimimus, & oculis subiicimus auditorum. Describuntur autem Personæ, Res, Loca, Tempora. Personarum descriptio sumitur

tur

tur ab ijs circumstantijs, quas in personis considerandas diximus cap. 11. Res describuntur ab his, quę antecedunt, quę comitantur, quę subsequuntur. Ex hoc loco nex potest innocentium amplificari. Loca ab ijs quę in eis continentur: vt templum, horti, portus &c. Tempora item ab ijs, quę eorum sunt propria: vt si quis hyemem, vel æstatem describat: noctem, vel auroram, &c. Exempla passim apud Ciceronem, Virgilium, & alios.

DE CHRIA, ET SENTENTIA. Cap. 38.

INter maiores oratorias præexercitationes primum locum obtinet Chria, quę commemoratio est brevis vel dicti, vel facti,

H

SYNTAGMA

vel vtriusque. Est igitur triplex; nam aut sermone constat, & verbalis dicitur, vt dixit Ouid. de Pont.

Apparet virtus, arguiturque malis.

Aut actione, vt, *Pythagoras interrogatus qualis sibi vita hominum videretur, subito se ex oculis spectantium eripuit.* Aut vtroque, vt Cic. *Collum nudum Antonij gladiatoribus secundum præbuit.* Dulce (inquiens) & decorum est pro patriâ occumbere.

Chriæ dilatandæ, & amplificandæ ratio hæc amplectitur capita; Authoris laudem, expositionem dicti, vel facti, vel vtriusque. Causam, quare illud dictum vel factum sit. Contrarium, quid mali sequatur ex contrario, ostendendo. Similitudinem, quæ pro

re, de quâ agitur, duci solet. Exemplum, ex historijs siue sacris siue prophanis petitum. Testimonium, quod rem confirmet: denique Epilogum qui hæc omnia capita breuiter complectatur.

Sententia ijsdem omninò locis, quibus Chria dilatatur.

DE REFUTATIONE, ET
Confirmatione. Cap. 39.

Refutatio est rei alicuius propositæ reprehensio. Constat, exordij loco, reprehensione eorum qui dixerunt; deinde rei expositio subiungenda est, quam his capitibus subuertet orator. Obscuro, vt si doceas, id, quod reprehendis, incertum omnibus nemini esse probabile. Incredible, vbi rationes afferes, quare credi non

H 2

SYNTAGMA

debeat. Impossibili, indecoro, inutili, non cohærente, vt si naturã ostendas rationi, aut consuetudini repugnare. Breui denique Epilogo oratio terminabitur.

Confirmatio est oratio, quã rem aliquam propositam confirmamus. Quod ad eius tractationem attinet, præmissa authoris laude rei que expositione, res erit eisdem comprobanda locis, quæ sunt refutationi contraria.

De laude ac vituperatione tractanda, ne eadem sæpius præcepta repetamus, nihil hic nobis est præcipiendum; satis enim ea esse debent, quæ infrà cap. 44. dicenda sunt.

DE THESI. Cap. 40.

THesis est, quâ aliquid generatim quæritur, vt an eloquentia sit expetenda? Quid autem inter Thesin intersit, & Hypothesin, & quomodo hæc ad illam reuocanda sit, diximus cap. 1. Locos continet suasionis post exordium, (quod vnde duci possit, ostendimus cap. 7.) Honestum, vbi probetur, rem, de quâ agitur, decere, & esse maximè cum dignitate coniuncta. Vtile, vbi vberissimi fructus, & utilitates proponantur. Facile, quo in loco ostendatur facilitas. Necessarium, vbi ita rem necessariam esse probetur, vt sine illa vel viui nequeat, vel non cum dignitate, cum splendore, &c. Postremo obiectiones, vel tacite, vel expres-

SYNTAGMA

se refutentur. Hoc progymnasma (quod confirmationi tantum, & Epilogo deseruire potest) exemplis, similitudinibus, testimonijs & diuinis, & humanis illustretur.

QUAEDAM IN CONFIRMATIONE SERUANDA. Cap. 41.

Obseruandum est Confirmationem, quæ Syllogismis fit, Enthymematis, & inductionibus ad res dubias probandas, deliberatiui & iudicialis generis esse propriam. In deliberatiuo rarò hæ argumentationes sunt inferendæ, nisi quis alius putetur earum rerum author, quas in nostro laudamus, vel ea, quæ dicimus, sint Paradoxa, vel incredibilia.

2. Quoad ordinem, & collocationem argumentorum pertinet,

initium confirmationis, & exitum firmissima quæque cominuant argumenta; si quæ erunt mediocria in medium conijciantur.

3. Qui aduersus alium priori loco dixit, suam primum partem confirmet, deinde refellat, & infirmet aduersarij. Ita Cic. in suasionem Manilianæ legis. Et qui sine aduersario tractat cōtrouersiam, eundem omnino modum teneat; primo loco statim post exordium, aduersæ partis argumenta confutet; ad suam deinde confirmandam accedat. Sic Cic. pro Milone.

4. In deliberatiuo genere præcipuè exempla sunt afferenda, quæ ad persuadendum vim solent

SYNTAGMA

habere quàm maximam. Quod idem est in virtutum, & bonarum artium laude seruandum.

5. Enitendum magnopere, vt transitiones vnus ad alteram orationis partem, vel argumenti, vel facti, ad aliud argumentum, aut factum, sint quàm aptissimæ.

I. vti possumus dubitatione, an aliquid dicturi simus, an omissuri, an 1. vel 2. loco collocaturi. Cic.

in Verr. 3. *Vtrum superbiam prius memorem, an crudelitatem? sine dubio crudelitas grauior.* II. per præteritionem dicemus, nos alia omnia omittere, vt ad id veniamus, quodnectere volumus orationi, Cic.

Phil. 2. *Multa prætereo, eaque præclara, ad singulare Antonij factum festinat oratio.* III. Maiora quam diximus,

pollicebimur. Cic. Phil. 2. *Sed nimis multa de nugis, ad maiora veniamus.* III. Alloquendo auditores. In Verr. 3. *Addite ad ea, quæ diximus illud quoque.* V. Apertè transibimus. Cic. pro leg. Man. *Diximus de scientia rei militaris, nunc ad felicitatem Cr. Pompei veniamus.* VI. Nexum, quem natura sua res habet, considerabimus. Ut si precedat causa, & sequatur effectus; vel è contra, &c. VII. Iuuat plurimum obseruatio vocum; quibus vtuntur oratores, maximè Tullius; & illorum veluti articulorum, quibus partes partibus coniunguntur. Quales sunt, *Reliquum est vt iam. Sequitur illud. An vero indices. Iam vero. An quisquam est, qui ignoret. Videamus nunc, quod caput est. Age*

SYNTAGMA

verò, ad illa veniamus. Quid? quod salus sociorum in summum discrimen vocatur? Atque hæc, quâ celeritate gesta sunt quanquam videtis, tamen à me in dicendo prætereunda non sunt.

6. Præter verborum flores, & sententiarum lumina, quibus distingui in quocunque genere debet oratio; in Demonstratiuo præsertim (quod ad delectationem totum refertur) varia eruditione sit illustrata, legibus nimirum, ritibus, & moribus gentium, historijs, priscis præsertim, illustribus factis, & rebus naturalibus.


DE COLLOCATIONE, ET
Numero. Cap. 42.

Collocatio erit optima, si vincam orationem, si cohæren-

tem, si lenem, si equabiliter fluentem efficies. In ea necessaria sunt ordo, & iunctura. In ordine illa obseruentur: ne decreascat oratio, sed minori ac infirriori maius aliud, & fortius subiungatur, vt si nequam hominem arguas, illum appelles *furem, latronem, homicidam, sacrilegum*, non è contra. Deinde, vt si fieri commodè possit, sensus verbo claudatur. Iunctura concinna erit, & elegans, si litterarum concursus, quæ asperitatem afferunt, vt, *Rex Xerxes*; vel hiulcam reddunt orationem, vt, *viro optimo obtemperare*, omnino vitabuntur. Item si verborum continuatio breuiorum, vel è contra fugietur: illa minutam, hæ tardam, & iniucundam orationem

SYNTAGMA

efficiunt. De Numero illud pronuntio. Nequis nimirum superstitiosè in numerosis dictionibus inquirendis laboret, neque anxie studeat huic minori varietati: usu enim, & dono maximè natura comparatur. Aptissimi claudende periodi pedes sunt Dichoreus, ut, *scelus incredibile tuum quem nostrum ignorare arbitraris?* & Creticus cum spondeo, *Scio enim me unum inter omnes patronum esse delectum.* Et qui pedes tribus syllabis constant, maximè ad orationis numerum faciunt. Alios inuenirè facile poterit, qui attentius Ciceronem expenderit.



L O C O R V M , E T

amplificationum ad sin-

gula Caufarum ge-

nera accommo-

datio.

S Tfi ex suprà dictis fontibus ad omne genus caufæ argumenta, & amplificationes emanant, tamen vt difcentium minuatur labor, qui loci, quæ amplificationes fingulis fint generibus magis aecommodatæ, breuiter explicabimus.

DE G E N E R E D E M O N S -
tratiuo, ac primùm de laude per-
sonarum. Cap. 43.

SYNTAGMA

IN Personarum laude ad inuenienda argumenta præcipuus locus est adiunctorum. Ex quibus quedam præcedunt vitam, alia comitantur, subsequuntur alia (vt suprâ cap. 19. dictum est) in quo illud est obseruandum. Virtutum facta (quæ personarum est laus præcipua) exornentur, considerentur, ac ponderentur, à personæ, loci, & temporis circumstantijs. Modus laudandi aliquem à claritate generis multiplex est. I. Si commemorentur res præclare geste maiorum, perinde ac si illorum gloria ad posteros deriuetur. II. Per præteritionem, vt Perp. in laude Ludouici Principis. *Atque illa quidem prætereo, quæ nescio an in homine maiora vel ali-*

quando fuerint, vel sint in omni consequenti posteritate temporis futura, &c.

III. Huic similis ; per quendam quasi despectum, reiiciendo externam illam gloriam, quasi alienam à verâ laude egregij viri, quæ in proprijs virtutum factis tota posita est. Eadem est ratio laudandi aliquem à diuitijs, ceterisque quæ fortunæ vocantur, bonis ; in quibus tamen laus aliqua elucere potest, bonus scilicet eorum vsus, vt si in pauperes, aliosue pios vsus fuerint expensa.

2. Est personarum accommo-
datus laudi, *Locus effectorum*. Facta
namque virtutum, etsi inter ad-
iuncta numerantur, ad hunc præ-
cipuè locum effectorum expec-
tant.

SYNTAGMA

3. Est aptus *Locus similium*, tam rerum naturalium, vt folis, ignis; quàm gestarum, seu exemplorum.

4. Valet *Locus dissimilium*; elucet enim valde præclari viri virtus, alterius comparatione dissimilis.

5. Est optimus, *locus comparationis*, cum scilicet quem laudamus cum alijs viris præclaris conferimus. Quod tribus fit modis. I. Si contendamus fuisse superiorem. II. Si æqualem. III. Si saltem imitatione proximè ad illum virum summum accessisse. Hi sunt præcipuè loci, in quos, qui personam laudare velit, conijcere oculos debet. Nec tamen excluduntur alij.

De lau-

QVatuor hæc capita in inge-
nuarum artium laudatione
sunt inspicienda, & scrutanda.
Honestum, vtile, iucundum, fa-
cile.

1. Igitur ingenuis in artibus, &
disciplinis, earum est honestas
consideranda, excellentia, ac di-
gnitas (hoc enim honestatis no-
mine intelligo) hæc vero excel-
lencia cognoscitur facile ex v-
niuscuiusque scientiæ definitio-
ne, ac materiâ. Erit itaque argu-
mentum ductum à loco definitionis.
Si quis autem velit laudare stu-
dia bonarum artium, &, quàm
hominem deceant, ostendere; ex
hominis id naturâ, & dignitate

SYNTAGMA

facile colliget ; est enim homo mente præditus , rationis particeps, ac scientiæ capax, in quo à cunctis distinguitur animantibus. Est ergo proprium hominis, illique maximè honestum, bonis artibus , multiplici rerum cognitione animum ornare. Ab eodem *loco definitionis* hoc etiam eruitur argumentum, ab hominis nimirum definitione.

2. Earum rerum est utilitas inuestiganda; si peculiarium artium laudes aggrediatur orator, utilitates illarum proprias perscrutabitur ; si vero generatim artium encomia velit oratione complecti, multos earum fructus potest enumerare. Valent enim ad bonos mores componendos , ad

Remp. administrandam, ad tuendam Ecclesiam, ad diuinum cultum: sunt prætereà vtilis diuitiis, honoribus, famæ, existimationi, Principum gratiæ, aliisque huiusmodi promerendis. Argumenta hæc sunt à loco effectorum.

3. Consideranda est iucunditas; nec enim potest non esse iucundum res varias, diuinas, & humanas, admirabiles, magnas, antiquas, tam naturales, quàm quæ suprâ naturam sunt, artium beneficio scientiarumque cognoscere. Argumentum etiam ab effectis.

4. Considerari potest facilitas, & probari, tum ex ipsius hominis naturâ, qui ad intelligendum natus est, tum eorum, qui in illis

SYNTAGMA

profecerunt, exemplis. Argumētum est *ex adiunctis ex 6.* circumstantia. *Quomodo.*

5. Laudari possunt ab inuentoribus, & præclaris viris à quibus fuerūt excultę; imo ipsi Deo, tanquam præcipuo fonti, vnde manarunt, debent attribui. Pertinet hoc argumentum ad *locum causarum*, scilicet ad efficientem.

6. *A loco contrariorum* laudantur optimè artes ingenuæ, vbi enim ignoratio est, bonæque non florent disciplinæ, humana vita barbara est, belluarúmque simillima, vitiis que plena, & quod caput est summum malorum, scilicet idolorum cultus ex ignorantia (et si alię etiam causę extitere) habuit initium.

7. Hinc etiam necessitatem licebit ostendere, eritque argumentum à *causa finali*. Quia nisi honestæ disciplinæ exerceantur, deerunt in Ecclesia rerum diuinarum Doctores, morúmque magistri, ex quo fiet, ut vix homines ad beatum finem, ad quem sunt procreati, dirigi possint.

8. *Locus, comparatio minorum*, optima suppeditat argumenta. Si enim genus, honores, diuitiæ, cæteraque bona corporis, & externa magni apud homines æstimantur, quàm ampliori dignæ sunt laude, quàm vehementiori studio sunt amplectendæ honestæ disciplinæ, quæ ornamenta sunt animi?

9. Tota hæc artium bonarum

SYNTAGMA

laus illustranda est exemplis viro-
rum, qui litteris floruerunt, Reiq.
publicæ, & Ecclesiæ profuerunt
non mediocriter.

DE LAUDE VIRTUTUM.

Cap. 45.

IN laude virtutum ad eadem re-
currendum est. capita, ex quibus
bonas Artes laudari diximus;
Honestum, Utile, Iucundum, Faci-
le, Necessarium.

I Virtutis honestas, id est, digni-
tas & excellentia perpendenda est.
Qui de virtute aliqua speciatim
orationem texit, vt de charitate,
vel iustitiâ, eius excellentiam ag-
noscet ex definitione, ac descri-
ptione proprietatum illius. Qui
verò de virtute instituit vniuersè
dicere, plurimas de illa excellen-

tias potest prædicare. Virtus enim diuinam imitatur bonitatem, & sanctitatem; officium Deo propter innumera beneficia debitum, quod in nobis est, persoluit; efficit homines Angelis similes, &c. Pertinent argumenta hæc ad *loca definitionis, causarum, effectorum.*

2 Laudantur virtutes ab utili. Vtilitates autem virtutum innumeræ sunt, quæ præter eas, quæ ad animum pertinent, numerari possunt, honores, magistratus bonis viris, ipsis repugnantibus, delati, apud omnes authoritas, &c. Spectat argumentum *ad locum effectoriũ.*

3 Laudantur à iucundo & facili. Cum enim virtus sit consentanea naturæ, non potest non esse iucunda & facilis, cum ea quæ na-

SYNTAGMA

turæ sunt consentanea, facile, & iucundè exequamur. Reduci potest hoc argumentum *ad locum adiunctorum* ad circumstantiam 6.

Quomodo.

4 A necessario, quia vel amplectenda est, vel æterna salus amittenda, & in sempiternum ruendum interitum. Argumentum est *à causa finali.*

5 *Locus contrariorum* est satis copiosus, cum scilicet quanta sit in vitio contrario turpido, & perniciæ demonstratur.

6 Valet plurimum *Locus Comparationis minorum.* Si enim argentum, aurum, margaritæ, externus corporis cultus, liberalis facies, vires, valetudo, aliaque huiusmodi bona tanti fiunt; si cæli lumina,

sol nimirum , & sydera tam sunt pulchra adspicientique iucunda; quanti estimari virtus necesse est, quæ animi verum est bonum, & ornamentum, solisque claritatem suo longè superat splendore; cuius tam sunt vberes fructus?

Denique virtutum laus illustranda est exemplis eorum, qui virtute excelluerunt.

Si orator de aliquâ speciatim, vel arte, vel virtute dicturus sit, Hypotesin poterit ad thesin reuocare; qui vero reuocetur, suprâ docuimus cap. i.

DE LAUDE FACTI. Cap. 46.

CVm factum aliquod singulare laudatur, primus modus laudandi esse potest ex locis, quibus dilatari Chriã docuimus cap. 40.

SYNTAGMA

2 Ab honesto, vtili, difficili, necessario.

3 Per *Comparisonem* cum alijs factis eiusdem personæ vel alterius. Quo artificio Cicero laudat clementiam Cæsaris, (pro M. Marcello) in seruando inimico; confert enim illam cum bellicis rebus, & laudibus alijs eiusdem Cæsaris, & anteponit.

Denique diligenter inspiciendę sunt circumstantiæ facti, quod laudatur. Huc totum confert *Adiunctorum locus, & Congeries.*

*DE LAUDE BENEFICII,
gratiarum Actione, Gratulatione.*

Cap. 47.

IN laude beneficij præbet argumentorum copiam *Adiunctorum locus.* In primâ circumstan-

tiâ *Quis*, includitur conditio personarum, dantis, & accipientis. In 2. *Quid*, eius magnitudo & utilitas consideratur ; quæ ex *Effectis* & *Comparatione* cum alijs maximè cognoscitur. Quinta circumstantia *Finis*, auget valde beneficium, si dicatur ex amore, & liberalitate profectum. *Tempus* prætereà, & aliæ circumstantiæ obseruentur.

Idem ferè artificium est orationis, quâ aguntur gratiæ. Primo enim ex indicatis locis extolli beneficium debet ; agendæ deinde sunt gratiæ, & compensatio, quantum in nobis sit, pollicenda. Hoc artificio utitur Cic. in eâ oratione, quam, ab exilio redditus patriæ, habuit ad Quirites.

In oratione Gratulatoriâ à cir-

SYNTAGMA

cunstantijs etiam suppētunt argu-
 menta. Primò à personâ dicentis,
 vel aliorum, ad quos bonum ali-
 quod redundat ex illius dignita-
 te, cui gratulamur, vbi eius meri-
 ta possunt enumerari. II. A ma-
 gnitudine boni, quod contigit, id
 quod ei merito contigisse dicetur.
 Postremo ei orator precabitur,
 optabitque & à Deo petet, vt a-
 deptum bonum illi fortunet; ac (si
 res tulerit) ad munus (si id materia
 sit gratulationis) cum laude ge-
 rendum, hortabitur.

DE ORATIONE PROS- phonetica. Cap. 48.

Prosphonetica Oratio est (ait
 Cespedes) quâ principem ali-
 quem, vel præfidem nobis nuper
 ab eo missum Reip. nomine salu-

tamus. Quę septem capita continebit.

Primum est vniuersam ciuitatem ex eius aduentu voluptatem maximam percepisse.

2 Celebritate eius famę summam expectationem apud nos fuisse concitatam, quę eius aduentu confirmata, vel superata est.

3 Continebit breuem enumerationem incommodorum, si qua à superiori p̄fecto fuerint importata, & dicemus nos sperare, vt ab illo mitius tractemur, & humanius, in quo summa prudētia, iustitia &c.

4 Illius ingredietur laudes, & etiam Principis, qui talem miserit p̄sidem, sed breuissimè.

SYNTAGMA

5 Cohortationem includet, vt Remp. nostram amet, quam breuiter laudabimus à statu ciuitatis, & moribus ciuium.

6 Erit promissio amplificata cōmemoratione honorum, qui alijs præfectis sunt tributi.

Ultimum Precatio quâ Deum precemur, vt Principem primùm, deindè præfectum incolumes, & nostram Remp. saluam esse velit.

DE ORATIONE FVNEBRI.

Cap. 49.

FVnebris oratio eâdem prorsus ratione, qua personarum laus, instituenda est. Sed post quemq. locum accommodata lamentatio adhibenda est. Deinde cohortatio ad mortui imitationem, nisi is puer fuerit; tum consolatio, quâ

parentes, affines, amicos, & patriam consolemur.

Ex genere mortis, si subitò extinctus fuerit, dicemus nullam molestiam alijs exhibuisse; si morbo diuturno confectus, patienter & moderatè tulisse.

Consolatio sic instituetur; vt si puer decesserit, dicamus Deo charum fuisse, qui huius vitæ incommodis fuerit ereptus; si ætati constanti, eum ad senectutis molestias (quæ amplificandæ sunt) non peruenisse; si verò ætate confectus, dicemus quam multis bonis vitæ diuturnitate perfunctus sit, & beatam vitam, quâ perfruitur, extollemus, & dicemus, si ad illum posset sensus aliquis peruenire harum rerum inferiorum, fo-

SYNTAGMA

re vt nobis succenseret, quod illum lugeamus. Tum exempla adducenda sunt eorum, qui constanti animo suorum interitum tulerunt.

Tandem laudandi sunt illi breuiter, qui funus curarunt, & adhibenda deprecatio, vt superstitibus quàm diuturna vitę vsura contingat. Hęc Cespedes.

DE LAVDE RERVM Naturalium. Cap. 50.

Res præterea naturales sunt materiã laudationis, vt Angeli, homo, cælum, sol, elementa, plantę, animantia; quorum in laudatione duci possunt argumēta à *Definitione*, id est à natura rei, definitione declarata; à *Proprietatibus*, à *Partibus*, si illis constet, à *Causis*, ab *effectis*,

effectis, à *commodis* quæ ab illis emanant, à *circumstantijs*, precipuè à *comparatione*. Tempora denique, scilicet ver, æstas, autūnus, hyems describi possunt, & laudari ab ijs rebus, quæ in eis sunt, & fiūt, & ad quas sunt vtilia.

DE LAVDE REGIONVM,
urbium, & rerum artificialium.

Cap. 51.

Regiones commendat urbium antiquitas, & amplitudo, salubritas aëris, fertilitas, mores præcipuè hominum, fortitudo, sapientia, virtus, quique ex illis præclari extitere viri.

Urbes laudantur à vetustate, à conditore, à situ, munitione, edificijs, tam priuatis, quàm publicis, tam sacris, quàm prophanis, vici-

K

SYNTAGMA

no mari, fluminibus, salubritate
 aëris, & opulentia. Præcipua laus
 ab optimis institutis, legibus, ci-
 uium moribus, bonarum Artium
 studijs. Tota hæc laus est fermè *ex*
adiunctis: valet etiam locus *compara-*
tionis, si cum alijs vrbibus con-
 feratur.

Res artificialès vt templum, & edi-
 ficium, &c. laudari possunt à ma-
 teria, & forma ex quibus constāt:
 in rebus enim cuiusmodi mate-
 rialis & formalis causa præbent
 descriptionibus copiam. Item
 laudātur ab his vsibus, quibus in-
 feruiunt, & commodis, si quæ ab
 illis profecta sunt, vt si quis sa-
 crum laudans cœnobium, vitam,
 quam in eo degunt religiosi viri,
 cum ratione vitæ, quam Angeli,

alijque beati in cęlo agunt, con-
ferat.

*DE GENERE DELIBERATI-
tuo. Cap. 52.*

IN Deliberatiuo genere, quo ali-
quid suadetur, vel dissuadetur,
valent etiam præcepta laudatio-
nis tradita: quas enim artes, virtu-
tes, & ægregia facta laudamus, ab
eisdem locis eadem suademus.

Tria vero in Deliberatiuo spec-
tanda sunt: primum, materia deli-
berationis: alterum, qui sint qui
deliberant: tertium, quis sit qui
suadet.

*DE MATERIA DELIBE-
rationis. Cap. 53.*

IN re, de quâ deliberatur, inspi-
cienda sunt capita, Honestum,
Vtile, Facile, Necessarium, non-

SYNTAGMA

nunquam Magnum, Iucundum, Tutum. Honesti nomine intelligitur excellēs bonum, id est omnis scientia, omnis virtus, omne officium, quod recta ratio præscribit, vt ciuium in Remp. filiorum erga parentes, præcipuè vero in Deum, & in Diuos, &c. Denique quidquid decet personam, vt Regem, Antistitem, Religiosum. Virtutum autem dignitas, & excellentia ex definitionibus, & descriptionibus, quibus earum proprietas, & effectus explicantur, cognoscitur, exemplisque, dignitate, & autoritate eorum à quibus fuerunt cultę. Petitur argumentum à *definitionum loco, & similibus.*

2 Ducuntur argumenta ad sua-

dendum ab utili, id est, ab utilitatibus, quæ proficisci possunt ab ea re, de quâ deliberatur, tam animi, quàm corporis, ac fortunarum. Argumentum est *à loco effectorum.*

3 Suadentur res à facili. Censetur verò facile, quod sine vlllo, aut certè sine magno periculo, labore, negotio, sumptu, molestia, aut breui tempore fieri possit. Et quidem rei facilitas ex circumstantijs colligitur, vt si virtus suadeatur, probabitur esse facilis ex propensione humanæ naturæ ad illam, ex diuinis auxilijs, ex consuetudine, quæ honestarum artium frequentia gignitur. Argumentum est *ex adiunctis.*

4 Consideratur rei, de quâ agendum est, necessitas. Illud au-

SYNTAGMA

tem dicitur necessarium, quod nisi fiat mala grauiſſima conſequantur; vel res aliqua magni ponderis, quæ nobis eſt neceſſaria, obtineri non poſſit: quo modo ſeruatione diuinæ legis neceſſaria eſt ad æternam ſalutem. Illud præterea vocari ſolet neceſſarium, quod permagni intereſt, aut ſine quo vix, aut valde difficile, quod optamus, poſſumus obtinere, à *cauſa finali.*

5 Optima ducuntur argumenta ad ſuadendum ex loco *contrariorum*; cum oſtenditur quàm ſit turpis, pernicioſa, aut difficilis res contraria. Hoc artificio ſuaderi virtutes poſſunt ex vitijs oppoſitis.

Denique, quoniam exempla

vim habent maximam ad persuadendum, suasio debet varijs exemplis illustrari. Quæ superius de ratione laudandi, ac suadendi dicta sunt, ad vituperationem, & dissuasionem valent, versis in contrarium præceptis.

*DE IIS, QUI DELIBERANT,
& eo, qui suadet. Cap. 54.*

Magni ad suadendum interest, si habeatur eorum ratio, qui deliberant. Quare mores, ætas, gradus, aliæque personarum inspiciantur conditiones: aliter enim cultis, & sapientibus, quos præcipuè mouet honestas, aliter rudibus, & impolitis, quos utilitas maximè trahit, suadendum est. Is verò qui suadet autoritate, & prudentia præditus sit oportet.


SYNTAGMA

Authoritatem conciliant oratori-
etas, gradus, dignitas, quæ præci-
puè verò præclara est de illius
scientia, & virtute existimatio.

DE GENERE IUDICIALI-
li. Cap. 55.

QVæ in iudicali genere tra-
dunt præcepta Rhetores, quo-
niam vetus iudiciorum ratio mu-
tata est, merito videntur omitten-
da. Multæ tamen hodie quæstio-
nes sunt, quæ formam quandam
iudicij præ se ferunt, vt cum nostri
concionatores turpes reprehē-
dunt mores, defendunt honestos,
vel cum quæritur de duabus re-
bus ultra honestior sit, vel utilior,
&c. Verum in his, & similibus
quæstionibus ex demonstratiui,
& deliberatiui generis præceptis

inueniendi argumenta ratio petenda est.



DE PERORATIONE
quartâ orationis parte.

QVID PERORATIO ? QVOT
eius partes ? Cap. 56.

Post Confirmationem (de quâ hæctenus in quocumque genere) sequitur peroratio, quæ pars vltima est orationis Rhetoricæ. Distat ab Epilogo, quod Peroratio nunquam non sit orationis extremum integræ, Epilogus vero sæpius adhiberi possit in oratione; apud Cic. passim exempla. Perorationis au-

K 5

SYNTAGMA

tem tres sunt partes, Epilogus, qui est ante dictorum repetitio; Amplificatio, quæ cum vehemētissima sit, brevis tamen esse debet; Affectus pro rei, de quâ dicimus, natura concitati.

In Epilogo illa sunt animaduertenda. I. vt per summa rerum capita decurrat Orator, Cic. pro Arch. poëta. *Quare conseruate, Iudices, hominem pudore eo, quo amicorum studijs videtis comprobari, tum dignitate, tum etiam vetustate; ingenio autem tanto, quanto id conuenit existimari, &c.*

2 Vt eundem teneamus in enumeratione ordinem, quem in oratione seruauimus, vt & auditorum memoriæ, & voluptati cōsulamus. Cic. pro Ros. Am. *Rogat,*

oratque te Chryfogone, &c. 3. Ne nudam proponamus repetitionem, sed ornatu & varietate distinctam; quod ut rectè fiat, hos proderit modulos adnotari, aptos demonstratiuo.

Primus modus Epilogi esse potest per cohortationem, ut nimirum ad illius, quem laudauimus, imitationem, auditores hortemur.

2 Per obiurgationem nostrorum temporum, quæ eiusmodi homines non ferant, quâ in exhortatione, & exprobratione morum nostrorum cum illius virtutibus, repeti possunt quæ de egregio viro sunt dicta.

3 Per Apostrophem, seu inuocationem ad illum quem laudauimus.

SYNTAGMA

mus, vel gratulando illi insignes victorias, vel gloriam sempiternam, quam earum virtutum præmium est assequutus.

4 Per expressionem lætitiæ ac triumphi, quo à cælestis curiæ ciuibus exceptus est, vbi virtutes, quibus floruit, possunt enumerari tamquam in illo triumpho illum comitantes.

5 Per implorationem Dei Opt. Max. vel cœlitum, quâ eius vel auxilium, vel vindicta (pro rei, de qua agitur, natura) imploretur. Hoc modo Cic. 7. in Verrem repetit quæ fusè tractauerat de tēplis locisque à Verre expoliatis.
Nunc te Iupiter Opt. Max.

6 Per contentionem contrariarum rerum, vt si quis paupertata-

tem contra diuitias laudauit, potest quę de vtrisque dixit, quadam contentione enumerare.

7 Per interrogationem, facile potest subijci enumeratio, Cic. pro Ros. Am. *Dubium est ad quem hoc maleficium pertineat, cum videatis ex altera parte &c.* & quod dixit enumerat. Hic modus deliberatiuo, & iudiciali præcipuè deseruit. His similes alij possunt excogitari.

DE AMPLIFICATIONE,
& affectibus. Cap. 57.

Q Vintilianus monet lib. 5. cap. 6. omnem eloquentiæ vim in Peroratione adhibendam; hæc autem adhibebitur, si amplificatione vehementi, & affectibus ardeat. Hoc semper Ciceroni conf-

SYNTAGMA

tans est ac perpetuum, pro Aulo Cluent. *Quod hoc portentum dii immortales? quod tantum monstrum ullis locis, quod tam infestum scelus, & immane, aut unde natum esse dicamus?* Et pro Rab. Post. *Fidem quam potui, &c.* Et in Miloniana. *His lachrymis, &c.* De amplificatione fati multa præcepimus: de affectuum tractatione pauca dicamus.

QV ID AFFECTVS? QV O-tuplex? illius in oratione locus. Quomodo concitandus? Cap. 58.

Affectus secundum Rodolphum Agricolam lib. 3. cap. 1. nihil est aliud, quam impetus quidam animi, quo ad expetendum, auersandumve aliquid, vehementius, quam pro quieto statu mentis, impellimur. Est autem duplex;

vel concitatus, qui Pathos dicitur à Græcis, vel mitis, qui Ithos appellatur. Ille audientium perturbat animos, & concitat, in quo vano (ait Cic.) regnat oratio; hic ad mores, & ad omnem vitæ consuetudinem accommodatur. Ille iudiciali aptus est generi; hic demonstratiuo, & deliberatiuo deseruit.

Proprium sibi affectus vendicant locum, Exordium, & Perorationem: ibi enim auditorum animi sunt commouendi; lenius in exordio, vehementius in peroratione. Quanquam etiam in oratione tota spargendos affectus esse docet Quint. lib. 6. cap. 1.

Vt autem hos excitare affectus possit orator, hæc præcepta serua-

SYNTAGMA

bit. 1. vt eo ipse affectu commo-
tus sit, quem excitare in auditori-
bus nititur, *Nō enim (Fabij verba)*
incendit nisi ignis, nec madescimus ni-
si humore, nec res vlla dat alteri colo-
rem, quem ipsa non habet.

2 In memoriam reuocet imagi-
nes, (quas Græci phantasias ap-
pellant) per quas res absentes ita
representantur animo, vt eas cer-
nere oculis ac præsentibus habere
videamur. Hoc autem fiet, si quæ
rei insunt, quæ circumstant, quæ
comitantur, contemplabitur. Ex
hoc loco affectus excitat Tullius
in orat. pro Ros. Am. *Nonne vobis*
hæc, quæ audistis cernere oculis videmi-
ni, Incides?

3 Illius personam, quam vel ac-
cusat vel defendit, cui suadet vel
dissuadet,

diffuadet, ita induere debet orator, vt eius etiam vel iniuriam, vel dolorem, vel gaudium &c. assumat.

4 Personam inducat, & depingat, quò vel ira, vel misericordia, vel quiuis alius animi motus facile in auditoribus excitetur Cic. in Verr. 3. Philodantū, & oratione 7. ciues Rom. inducit, quò in Verrem inuidia concitaretur, & erga illos misericordia.

5 Imitetur verba vel irati, vel metuentis, vel amantis, &c. Cic. pro Ros. Amer. ea verba tribuit filio Roscio metuenti, quæ iudices ad misericordiam flecterent innocentis.

6 Nonnunquam, & persona inducitur, & describitur, & simul

L

SYNTAGMA

verba personę accommodantur,
quod vehementer solet ad effec-
tus impellere. Virg. lib. 4. Dido-
nem inducit, & effingit amantem,
& verba simul doctus attribuit.

*At trepida, & ceptis immanibus ef-
fera Dido*

*Sanguineam voluens aciem, macu-
lisque trementes*

*Interfusa genas, & pallida morte
futura, &c.*

En primum.

*Dulces exuvie, dum fata, Deusque
sinebant,*

*Accipite hanc animam, meque his
exoluite curis &c.*

En secundum.

Moneo in his affectibus exci-
tandis tria esse diligenter confi-
deranda. Primum quales hi sint,

quos commouere volumus; deinde pro quibus, vel contra quos moueantur; tum quas ob res moueantur. V.g. si ad iram volumus auditores impellere, primò videndum est, quomodo affecti homines faciliè irascantur; deinde quibus hominibus irasci soleant; postremò quæ sint res illæ, quæ faciliè iram moueant. Præceptum est Aristotelis, lib. 2. Rhet. sub initium.

DE MEMORIA Cap. 59.

CVM iam de Inuentione, Eloquutione, & Dispositione egerimus in hoc Syntagmate, reliquum est, vt ad plenam huius artis doctrinam de Memoria, & Pronunciatione, nonnulla præcipiamus.

S Y N T A G M A

Memoria, quæ pars est Rhetoricæ quarta adeò, ad disciplinas omnes est necessaria, vt quantum quisque memoria excellat, tantum emineat & sapientia. Vnde non abs re quidem poetæ memoriæ filiam finxere sapientiam. Est autem duplex, naturalis altera, quæ nostris animis insita sine inductione artis simul cum cognitione nascitur; altera artificiosa, quæ est eadem naturalis, quibusdam firmata præceptionibus. Illa augetur in primis excolendo; verum adi Guilielmi Crotaroli lib. de memoria inscriptum, vbi aliqua, quæ fortasse iuuabunt adhibita.

Quæ vero memoriæ noceant in primis cruditates tanquam ratio-

ni infestissime. Plurimi vini potio
 potentis præsertim. Caliditas, vel
 frigiditas capitis extraordinaria
 ex accidenti. Ciborum fumoso-
 rum comestio, vt alliorum, casei,
 porrorum, &c. Paulo post comestio-
 nem potus, præsertim à cœna.
 Somnus statim post cibum infes-
 tissimus. Calceatis dormire pedi-
 bus. Crudæ herbæ comestæ non
 mediocriter lædunt memoriam.
 Vomitus laboriosus. Acetum, &
 acetosa omnia. Vide plura apud
 Palmirenum in lib. de memoria.

Artificiofa memoria locis constat & imaginibus. Loci sunt veluti tabulæ, in quibus rerum simulacra collocantur. Hi autem debent esse illustres, insignes, speciosi, vel à natura, vt montes, prata, flumi-

SYNTAGMA

na, vel ab arte, vt ædes, intercolumnium, fenestra, fornix. Imagines sunt similitudines earum rerum, quas meminisse volumus, vt equus, leo, canis, aquila. Hæ imagines supradictis locis sunt committendæ, & cum repetenda fuerit memoria, incipiant à principio loca recenseri, & quod cuique credideris, reposces; imago enim cuiusque admonebit. Ad iungam methodum colendi memoriam, quam suis auditoribus præscripsit Palmirenus Rhetor Valentinus.

Non patiar, vt celeriter, quod memoria mandauerunt, recitent, sed volo tanquam declamarent, aptè, distinctè, que recitare, vultum præceptoris intueri, toto corpore decenter composito sorr-

fistere, præceptorem quoque non oscitanter audire, os emendare, gestus atque ipsius corporis habitum moderari, singula circumspicere; sic & quæ recitabunt, tenacius hærebunt, & ipsi compositiores fient: nam celeriter recitata statim discedunt à memoria.

*DE PRONUNTIATIONE,
& Actione. Cap. 60.*

PRonuntiatio (Rhetoricæ artis ultima pars) est apta conceptæ elocutionis enunciatio; quæ duas habet partes, nempe vocem, & motum. Prior ad aures auditorum, altera ad oculos reuocatur. Quod ad vocem attinet hæc notentur. Primum: Facto silencio, iamque ad audiendum compositis auditoribus principium orationis, nisi sit abruptum, clarè, suauiter

SYNTAGMA

térque pronuntiandum est, temperata voce, graui & distincta modulatione.

2. Absoluto exordio, sono vocis apertiore narrabit orator, acriori confirmabit, flexo miserationem, elato summos affectus, summisso compositos pronuntiabit.

3. Vox non ultra vires vrgenda. Nec diu eodem tenore, sed adhibebit vocis varietatem prout res postulēt & affectus. Atrociam concitatè, tristia flebiliter, medocria temperatè, grandia cum maiestate quadam, profopopœiam ficta proferet voce.

4. Latini accentus exprimantur suauiter, sono latinarum litterarum proprio.

5. Nimia vel tarditas in dicen-

do , vel volubilitas , & celeritas omnino fugienda.

6. Optimi est oratoris nec exprimere nimis neque opprimere litteras in sententiarum fine præfertim.

7. Finem orationis, si ad concitandum sit compositus , decet continens & intentior sonus , & concitata pronuntiatio: si ad placandum , lenis: si ad mærorem, flexus: si ad lætitiã , plenus & iucundus.

De gestu. Caput ultimum.

Multa de gestu præcepta traduntur: illa præcipua.

1. Circumspecta concione, manibus in suggestum prolatis , stet rectus orator , curamque ac gravitatem præ se ferens exordiat

SYNTAGMA

idque sine vlllo manuum motu,
vel non nisi leuiter post primam
periodum.

2. Narrationem decet manus
magis prolata, gestusque liberior:
confirmationem acrior, & varijs
affectibus concitatus pro rerum,
de quibus agitur, diuersitate.

3. Capitis frequens nutus in vi-
tio est. Non dedecet tamen ali-
quando vel annuendo confirma-
re, vel annuendo negare, vel ca-
pitis inclinatione in latus languo-
rem, vel auersione indignatio-
nem, & similiter affectus conue-
nienti motu capitis significare.

4. Frons modicè demissa & cor-
rugata, pudoris est: serena & ex-
plicata claritatem, & clementiam
ostendit.

5. Oculi nec in trabes, nec in certum aliquem locum stupidè figantur, sed motum animi significant variò coniectu.

6. Labra neque morderi, nec lingi, nec replicari, nec torqueri, nec porrigi, nec deduci conuenit.

7. Collum neque contractum esse decet, nec tensum, ceruicem neque rigidam, neque supinam, sed naturali situ rectam.

8. Dedecet humeros iactare, vel attollere, vel contrahere.

9. Brachia nee deorsum incomposita pendeant, nec sursum ut tela iactentur. Dexterum tamen subinde licebit proferre liberius pro rerum dignitate.

10. Partes distributionuum vel in digitos eleganter digerat, vel

SYNTAGMA

repetito quolibet leni dexteræ motu partiatur.

11. Supplicabit, & inuocabit vtramque manum vel attollendo, vel summittendo, aut vtraque manu vel iuncta, vel protensa.

12. Auersabitur, execrabitur, negabit, vel vtramque manum auersam obijciens, vel in latus vtrūmque distendens, vel demissis supercilijs dextram excutiens, vel capite renuens.

13. Interrogabit dextram manum conuersam paulum attollens.

14. Urgebit, & instabit alterno motu, nunc totam manum contrahens, nunc totam explicans, vel indice prono reliquis tribus pollice pressis.

15. Distinguet contraria, transferēdo dextram supinam in sinistrum latus, eādē mox prona in dextrum relatâ, pollice intus inclinato, & quatuor digitis remissis: vel sūmo pollice indici iuncto, cæteris remissis: vel etiam utroque brachio alternatim vtens.

16. Demonstrabit seipsum manu ad se relata; cætera dextra, leuâque sursum, deorsum, vt ante nos recte ostendimus: posteriora vero gestu retrorsus conuerso demonstrare vitiosum est.

17. Exprobrabit tribus digitis pressis, & indice explicato.

18. Timebit prolatâ manu dextrâ aspectus, quatuor primis digitis in summum coëuntibus.

19. Irascetur stricto pugno, per-

SYNTAGMA

cuffóque pulpito, vel pugno com-
presso pectori admoto, voce aspe-
ra, vultu turbato, motibus conci-
tatis.

20. Poenitebit pressâ manu ad-
mota pectori. Dolebit autem mē-
bris inter se complicatis, vel v-
trinque deiectis.

21. Admirabitur oculis in cœ-
lum suspicientibus, vtraque manu
modico interuallo sublata.

22. Ironiam ostendet vultu
paulum auerso.

23. Assueverabit dextrâ remissâ
pectori admotâ.

24. Hortabitur manu dextrâ, ca-
uâ, rarâ, supraque altitudinem
humeri dextri graui motu elatâ.

25. Mitigabit animos manu pã-
dâ leniter, paruisque interuallis

motâ, humeris paulùm modeste-
que assentientibus.

26. Gestus optimè incipitur dex-
trâ à latere sinistro simul inci-
piente sententia: deponitur à dex-
tris vnâ cum fine sententię.

27. Extremum illud: si finis o-
rationis ad concitandum sit com-
positus, motus requiri concitatos;
si ad placandum, lenes; si ad tristi-
tiam, tardes; si ad lætitiã, alacres,
celereres, excitatos.

En tibi lector Syntagma
nostrum ex quinque Rheto-
ricę partibus concinnatum,
ad vsum & exercitationem
adolescentium non inutile,

SYNTAGMA

quibus præcipuè inferuire
laborem nostrum voluimus.

Totum in Dei Opt. Max.
gloriam, & Sanctissimæ
Virginis cedat ho-
norem.

FINIS.



B
Biblioteca
5.52

196
526

127170

BU

de Santa Cruz

1525